

www.e-rara.ch

De Utilitate trientis, instrumenti astronomici novi, libellus

Apian, Philipp

Tubingae, 1586

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 4469

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1984>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]


Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]


11823
Bar

11823 (Rar)

Rar 4469

2





I.

DE UTILITATE
TRIENTIS,
INSTRUMENTI
ASTRONOMICI NOVI,
LIBELLVS.

A
PHILIPPO APIANO
*conscriptus, & nunc primum in
lucem editus.*

CVM PRIVILEGIO CESAREO.



TUBINGAE,
Anno M. D. LXXXVI.

СТАТЬИ О СЛУЖБЕ
СТАТЬИ О СЛУЖБЕ
СТАТЬИ О СЛУЖБЕ
СТАТЬИ О СЛУЖБЕ

ОФИЦИАЛЬНО

СТАТЬИ О СЛУЖБЕ

Зак

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMI-
NO LUDOVICO, DVCI VVIRTENBERGICO
ac Teccensi, Comiti Mompelgartenſi, &c.
Domino suo clementissimo.



STRONOMIA QVANTÆ SEM-
per, propter eximiam dignitatem,
vsum multiplice, incunditatemq;
maximam, fuerit admirationi,
Princeps Illustriſſime, idemq; Clementiſſime:
vel ex eo apparet: quod non modò primauos Pa-
triarchas, eius peritiſſimos fuisse, ipsumq; adeò
Abrahamum, Mathematicen Ägyptijs pri-
mū tradidisse: verum etiam singulis tempo-
ribus, potentissimos Reges, aliosq; viros toto
terrarum orbe Principes, eandem studiosiſſimè
coluisse, & summa liberalitate cōſeruasse, atque
ad posteritatē propagasse, legimus. Hinc At-
lantem, Orionē, Perſeum, Chironem, aliosque
complures, suis seculis principes & heroas cla-
riſſimos, antiquitas ob hoc ipsum astrorum stu-
dium, quod flagrantissime complexi, summis co-
natibus fouerunt ac ſuſtentarunt, ita celebra-
uit: ut ad perpetuam tantorum virorum me-
moriam, nomina eorum ſtellis indiderint que

* 2 et iam-

P R A E F A T I O.

etiamnum hodie conseruantur. Sed de laudib.
Astronomia, hoc loco plura commemorare, &
prolixum esset, & superuacaneum: cum abunde
satis hoc de genere, à multis doctissimis viris ha-
ctenus literis sit mandatum. Hac etiam de
causa, breuitati consulendum existimans, pau-
ciissimis institutum nostrum, quod est de diei no-
ctisque partium, qua hora appellatur, cognoscē-
da & distinguenda ratione, attingam. Ea enim
quantam & in priuata, et in communi vita, pa-
riat utilitatem: etiam in vulgus ex literis di-
uinis notum est. Moses enim, primò statim in
universa Creationis historia ingressu, illustris-
sima illa in cælo luminaria, ad dies, ad menses,
ad annos, ad tempora designanda, à sapientissi-
mo Munditotius Creatore facta esse, atque de-
stinata, testatur. Et sanè hæc diei in horas, qua
ex cœlestium corporiū, præcipue verò Solis, pri-
moque motu, dependet distinctio, admonere nos
videtur: quando, quamque diu, qualibet, & in
priuatis & publicis negocij, sint agenda. Ete-
nim, sine domi rei familiaris administratione,
sive fori rusticarum operarum distributionem,
considerare, eaque omnia conuenienter, & uti-
liter instituere voluerimus: quando nimirum
vel

P R E F A T I O .

vel inchoanda qualibet, vel continuanda, vel
intermittenda, sint: quomodo id omne sine debi-
tate temporis obseruatione cōmodè fiat? Denique
ut multa præteream alia: si vel valetudinis no-
stra (cuius meritò studiosissimi omnes esse debe-
mus) rationem aliquā attentiore ducere vo-
luerimus: ut corpora nostra, suis laboribus &
molestijs fatigata, cibo, potionē, somno, quiete,
reficiantur & conseruentur: quis ad hoc, dili-
gentē temporis obseruationem, utilissimam esse
negabit? Ex his profecto, vel ipso Sole clarissimus
est: sublatā neglectā uite temporis hac, diei, noctis,
& horarum distinctione, in vita nostra pluri-
mis in rebus, maximas oriri confusiones.

Ceterum ad tempora, eorumque discrimina
(ut sunt dies, hora, horarumque momenta) in-
uestiganda, multa variaque ab Astronomis,
cum veteribus, tum neotericis, hominib. soler-
tissimis, excogitata descriptaque sunt Instru-
menta pulcherrima & utilissima: Astrolabia,
Quadrantes, Cylindri, Annuli, Horoscopia,
aliaque varia Gnomonica: qua quidem nunc
enumerare, & longū esset, & ab hoc loco alienū.

His autem nostrum TRIENTEM, non prater
rationē annumerare me posse confido. Hic enim

P RÆFAT I O.

enim cōmoditate sua, vñque multiplici, si alia
huius generis organa, in lucem hactenus edita,
non superat: & quare certè suo quodam iure mibi
videtur. Eius namq; ductu & adiumento, So-
lis stellarumq; altitudines supra Finitorem:
omnis generis hora, Vulgares, Planetarū, Iuda-
orum, ab Ortu & Occasu numerata, interdiu
noctuque, cognosci: Solis item locus in Signife-
ro, eiusdem & stellarū aliquot ad hoc institutū
accommadarum, ortus, obitus, declinationes,
amplitudines: dierum noctiumq; longitudi-
nes: poli exaltationes, aliaq; plura: facilimè,
& varijs etiam modis, inquire possunt. Licet
verò multa Horologia automata pāsim habe-
antur: quibus diu noctuque tempus horaéque
indicantur: ita, ut neq; hoc, neq; alia similia,
magnopere requiri, fortè quis dixerit: certò ta-
men statuendū est: ea ipsa Automata, sine cœ-
lestis motus obseruatione legitimè regi non pos-
sē. Ideoq; hoc, & similia Instrumenta, Regula
sunt Horologiorū automaton, secundū quam
omnino sunt dirigenda. Quæ omnia & singula,
rerum harū intelligentes, ipsa re malo experiri:
quā pluribus hic commemorando prædicare.

Neq; tamen hoc interim silentio prætereun-
dum

P R A E F A T I O.

dum est: Tridentis huius inuentionē primam, esse
patris mei p. m. Petri Apiani: viri de Mathe-
maticis disciplinis (quod sine arrogantia, sed ea,
qua filium non ingratū decet, pietate, dico) bene
meriti. Nam ut de libris eius iam olim editis, qui
doctis viris non sunt incogniti, taceam: alia etiā
plura maioraq; in Mathematicis instituta, pro-
pter inexpectatam mortem imperfecta reliquit.
In quibus ego perficiendis, adque suum usum de-
ducendis: quantum mihi subseciuis horis, à varijs
occupationibus, & per valetudinē non semper in-
tegram, licuit: hactenus publicæ utilitatis, et Ma-
thematicæ studiosorum gratia, elaborans: ea bre-
ui, Deo adiuuante, in lucem edam: quantumuis
hoc magnos sumptus requirat: & hominē priua-
tum ab hoc studio facile auocare posse. Etenim
Mathematicorum operum, laboriosam & sum-
ptuosam esse editionē, in pingendis, describendis,
sculpidisque, figuris & formis, satis manifestum
est. Ac sanè omnium testimonio, hæc nostra iam-
dudū interijsent Studia: nisi subinde aliquot di-
uinitus excitati fuissent Mæcenates: qui libera-
litate sua, ab interitu illa vindicassent: id quod
multa paſsim summorum hominū, Regum, prin-
cipumq; exempla testantur: ad bonos & sapien-
tes

P R A E F A T I O.

tes principes, huius doctrinae conseruanda curam
pertinere. Hoc verò tempore, Princeps Illus.
ac D. Clem. libellum hunc, utilitates Tridentum
nostrorum declarantē (quorum compositionē, suo
quoq; tempore dabimus) exiguum quidē, non ta-
men, ut arbitror, aspernandum, sub illustrissimo
Cels. T. nomine, in publicum, causis magnis im-
pulsus emitto. Vt n. multa hactenus, T. C. in me-
clementie & fauoris argumentataceā: cūm cer-
tum sit, istam ipsam C. T. vt omnium liberalium
artium ac disciplinarū, omniumq; literatorum:
ita etiā Mathematicae studiorum, qua verè Re-
gia sunt, esse patronā: cūm etiam huius Astrono-
micae partis, qua utiliss. temporis distinguendira-
tionē continet, studiosissimā esse sperē: ei laborem
hunc qualemcunq; meum inscribere, atq; mitte-
re, non dubitavi: humiliter etiam atq; etiam ro-
gans: vt sereno placidoq; vultu suscipere, sibiq; me
ac studia mea clementer commendata habere, di-
gnetur. Quod vt fiat, Illustriss. T. C. unā cum
Illustriss. sua coniuge, Deo optimo maximo com-
mendo: eiq; felicem longauitatē ex animo precor.
Tubingae Calend. Sept. Anno M. D. LXXXVI.

Tua Celsit:

Obsequentiissimus

Philippus Apianus D.

PHILIPPI APIANI TRI-
entis, Instrumenti Astronomici,

LIBER TERTIVS.

DE EIVSDEM UTILITYATE.

EXPLICATIO

PARTIVM, ET CIR-
culorum Trientis.



Ntequam ad Trientis nostri usum acceda-
mus: operè precium erit primum eius partes,
earumque appellations & lineamenta de-
clarare: quæcum accuratius à nobis in descri-
ptione Instrumenti sint explicata, breuiter
tantum hoc loco perstringemus.

Nomen autem Trientis accepit, quod tertiam ferè par-
tem Circuli complectatur: quemadmodum quiuis ex for-
ma instrumenti perfacile intelligere potest.

Huius partes duæ sunt: Anterior, & posterior. Hanc dor-
sum etiam & posticam aliquando nuncupabimus: illa verò
nonnunquam Facies à nobis appellabitur.


DE POSTERIORI TRI-
ENTIS PARTE.

Et, ut à facilioribus incipiamus, primum de posteriori Tri-
entis parte dicendum erit: quod ex priori seu anteriori, de
qua paulò post dicemus, tota dependeat.

Huius itaque ultimus circulus, Limbus visitato Astrono-
morum vocabulo dicitur: Itaque in tres ambitus orbicula-
res dissectus est: quorum primus & infimus in viginti qua-

A tuor

DORSVM
TRIENTIS CVM
Limbo horario.




tuor æqualia spacia diuiditur: quæ horæ communes seu equinoctiales nominantur, quibus nox diesque constat. Ex his duodecima hora, quæ propè centrum Tridentis annotata est, Meridem monstrat. Deinde horæ diurnæ, earumque partes in die equinoctij, ab eiusdem nocturnis horis, alijs numero rum figuris distinctæ sunt.

Secundus circulus, quadrantes horarum continet, eosdemque denticulis certis distinguit.

Postremus minutiores horarum partes exhibet: quarum quævis vnciam seu duodecimam partem horæ, hoc est, minuta quinque seu scrupula prima comprehendit.

D E R O T V L A.

Intra Limbum horariorum Tabula seu Rotula continetur versatilis, quam Tympanum Vitruvius appellat: idque ali-



quot continet circos. Quorum qui limbo proximus est, duodecim anni menses complectitur: in totidem partes di-

A 2 uisus-

uisus, quo^t eorum singuli dies habent. Suntque dierum distinctiones eo ordine dispositae, vt mensis dies quilibet convenienter gradui, & signo Zodiaci in sequenti circulo respondeat: atque hoc quidem pro nostre ætatis ratione.

Qui verò sequitur circulus in duodecim etiam, non tam spacio, quam ratione, æquales diuisus partes (quaæ à Græcis zodia, à Latinis signa fuerunt nuncupatae) Signiferi nomen accepit. His autem singulis partibus veteres, vel distinctionis, vel etiam significationis gratia, nomina certa indiderunt: Ea sunt, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquari⁹, Pisces. Sed hæc rursus signa in triginta partes, seu gradus diuiduntur: vt integra Zodiaci summa ccclx. grad. faciat.

Tertius tandem circus huius rotulæ stellulas aliquot insigniores, vt sunt primæ & secundæ magnitudinis, exhibet: quaæ tum ad noctis horas, tum ad multa alia erūt accommodæ: harum nomina, cum ob spatijs angustiam annotari non potuerint, certis numeris in adiecto circulo distinctæ sunt.

i. Stella itaq; vnitatem adiectam habens, Canis maioris stellam in ore splendidissimam & maximam refert.

ii. Binarius Canem minorēm.

iii. Tertius numerus Hydram: illa est in Serpente stella secundæ magnitudinis.

iv. Quarta ordinæ stella est Cor Leonis, Regulus dicta.

v. Cauda Leonis.

vi. Spica Virgini.

vii. Arcturus, inter crura Bootis.

viii. Cor Scorpij: secundæ magnit. stella, & meridion.

ix. Lyra seu Vultur cadens.

x. Aquila, seu Vultur volans, secundæ magnitud.

xi. Ala Pegasī.

xii. Venter Ceti, secundæ magnitudinis.

xiii. Pleiades.

xiv. Oculus Tauri ex numero Hyadum.

xv. Sinister pes Orionis.

xvi. Dexter humerus Orionis.

Restat adhuc filum, quod instar Indicis atque ostensoris erit, ex medio huius rotulae propendens: de cuius officio in utilitatum enumeratione dicemus. Atque haec de posteriore Trientis parte dixisse sufficiat.

DE ANTERIORI TRIEN- TIS PARTE.

Sequitur huius Instrumenti pars Anterior, posteriori, de qua iam dictum est, respondens. Hanc docendi gratia in tres partes distinguimus: in Limbum: in Margines: in Aream: de quibus singulis breuiter agemus.


L I M B U S.

Limbus quidem in tres circos diuisus est. Quorum medius, gradus continet de trecentis sexaginta (in quoctuus circulus ab Astronomis diuiditur) quotquot pro ratione circumferentiae capere potest: ijs deinde gradibus numeri in extremitate ambitu subiecti sunt certo ordine. Iste gradus non vni tantum, sed varijs circulis attribuuntur, vt in usus explicatione clarum erit. Aliquando enim Horizontis, interdum Verticalis circuli cuiusque partes referunt. In circulo autem tertio, comprehenso inter gradus iam dictos, & supremam circinationem, stellae eadem, de quibus ante dictum est, certis locis annotatae conspiciuntur.

M A R G I N E S.

Margines duo sunt: quorum alter, qui ad dextram est, gradus seu partes continet xc. intra limbi extremitatem, quam Horizontem quoque dicemus, & Trientis punctum verticale, quod Zenith Arabicè dicitur. Has partes appellabimus gradus Altitudinum: monstrant cuiusque circuli verticalis quadrantem, inter horizontem, & verticis punctum com-

ANTERIOR
TRIENTIS
PARS



prehensum. Illæ verò partes non sunt inter se æquales: nam propiores horizonti, maiores: remotiores, minores sunt.

In Sinistro verò latere seu margine linea, ex puncto verticali (quod centrum est Tridentis) ad nonagesimum gradum limbi deducta, Meridianum repræsentat. Ad hanc rectam linam, seu meridianum annotati sunt characteres duodecim signorum Zodiaci, eorumque partes: quarum ordinem & descriptionem, Zodiaco Reuolutionum nuncupauimus.

Et memineris signorum characteres ad ipsorum principia esse collocatos. Cur autem bina semper signa à punctis Tropicis æqualiter distantia, coniuncta sint: & cur spacia signorum inæqualia in hoc Zodiaco fiant, in descriptione huius Instrumenti satis ostensum est.

A R E A.

Restat Area seu spacio, quod duobus marginibus, & supremo Limbi circulo, hoc est, horizonte nostro obliquo, continetur. Hæc refert hæmispherij nostri partem vtramq; quarum una inter Horizontem orientalem, & Meridianum: altera verò inter hunc & occidentem comprehenditur. In hac Area triplices conspiciuntur arcus: quorum, qui ex Zodiaco reuolutionum protrahuntur ad horizontem usque obliquum desinentes, demonstrant Solis parallelos, motu eiusdem cum proprio, tum accidentario descriptos.

P A R A L L E L I E T T R O P I C I S O L I S.

Ex omnibus autem parallelis, qui Solis & primi cœli conuersione describuntur, extremi sunt duo circuli Tropicidicti, in quibus Solis conuersiones & reciprocationes fiunt.

Horum, qui per primam Cancri partem ductus est, omniumque supremus in Triete apparet, Tropicus æstiuus, seu Cancri nuncupatur. Infimus verò, omniumq; minimus ex Ca-

ex Capricorni principio progrediens, Tropicum hybernum seu Capricorni designat.

AE QVATOR.

Inter hos duos extremos mediis omnium parallelus per primam Arietis & Librae partem descriptus, Aquinoctialis dicitur. Arcus deinde, qui ex Tauri primo gradu progreditur, monstrat eum parallelum, quem Sol, dum in prima Tauri parte commoratur, motu primo describit. Et similiter per reliquorum signorum non principia tantum, verum etiam per partes quaslibet parallelos descriptos animaduertis.

PARALLELI STELLARVM.

Porrò alij circulorum arcus punctim facti inter parallelos iam dictos conspicuntur: qui ijsdem supra dictis stellis fixis attribuuntur. Hos arcus stellarum parallelos nuncupabimus. Stellæ enim omnes primi cœli conuersione ab ortu in occasum circumductæ parallelos circulos efficiunt. Quibus autem stellis singuli arcus respondeant, numeri stellulis adiecti sub horizontis circulo indicant: de quibus supra in posterioris partis explicatione dictum est.

ARCUS HORARVM VVL.

GARIVM.

Deinde alij quoque arcus transuersi per dictos parallelos à Cancri tropico deorsum ad Capricorni usque parallelum ducti & descripti sunt: Inter hos quartus quilibet ideo non nihil crassior factus est, quod horas indicet: inde etiam Horarius vocatur: intermedij vero terni horarum quadrantes exhibent. His autem horarijs arcubus singulis bini numeri adscripti sunt: quorum hi, qui sub tropico Capricorni, & ad Horizontem ipsum, his literarum figuris, v.vi.vii.viii. ix. &c. adnotati sunt, horas antemeridiani temporis significant. Illi vero, quos supra Cancri tropicum his numero-
rum

rum notis, i. 2. 3. 4. 5. &c. depictos habes, pomeridiani temporis horas denotant: atque hac ratione per facilè has ab illis dijudicare licet.

H O R A E P L A N E T A R I A E.

His autem communibus, & per uulgatis horis adiecimus etiam in uno atque altero Triente, alios quoque arcus, horizonti ferè paralellos, Planetarum horas designantes. Eos igitur ad priorum differentiam, duplicatis lineis notauimus, quemadmodum etiam corundem numeros geminatis characteribus à prioribus distinximus. Sed de his, alijsque horarum generibus, & arcubus, infra suo loco plura dicemus. Cur autem singulishorarum, tūm vulgarium, tum planetarum, aliarumq; arcubus bini numeri horarij attribuantur, excepto Meridiano, cuius in elementis sphæricis versato, notum esse arbitror: quanquam id ipsum etiam in Trientis confectione satis à nobis explicatum est. Denique ad quam altitudinem poli, seu regionis situm descriptus sit Triens quilibet, numeri prope marginem dextrum ostendunt. Ut autem ad usum rectè, conuenienterq; Instrumentum præparetur, construaturque: memineris ad marginem seu latus Trientis, in quo Zodiacus Reuolutionum descriptus est, tabellas seu pinnulas adiungendas esse: quæ parua habeant foramina, lineæ Meridianæ æquidistantia: eaque vel ad Solis radius excipiendum, vel ad stellas contemplandas, accomodata. Deinde in Facie quoque filum sericum centro A innectendum, atque confirmandum est, paulo semidiame tro longius, ut ad imam eius partem globulus appensus liberè, sub Triente versari, moueriq; possit. Habeat denique ipsum filum lapillum seu vnionem mobilem, qui sursum ac deorsum, ut res postulabit, promoueri possit. Appellatur autem filum etiam hoc interdum perpendicularium, quòd ratione ponderis appensi, Finitoris plano perpendiculariter,

hoc est, ad rectos angulos incumbat, atque insistat. Hæc sunt, de quibus lectorem ante usus Tridentis nostri explicationem admonendum esse putavi.

S E Q V V N T V R U T I - L I T A T E S .

Prima: De gradu, & loco Solis inueniendo.

AD temporis dimensionem, horarumq; obseruationes, motus, & locus Solis (à quo omnis temporum ratio dependet) in Signifero orbe ante omnia cognoscendus est. Solis autem locum seu gradum appellamus id Zodiaci signum, signique partem, in qua eo tempore Sol versatur, commoraturq;. Et hic quidem locus varijs modis deprehendi potest: ex quibus vnum atque alterum tantum, eosque peruulgatos in præsentia ostendam. Primum itaque ex Diaris, quæ vulgo Calendaria vocantur, depromere locum licebit. Sunt enim in iis ad dies singulos cùm Solis, tūm Lunæ in Zodiaco loca annotata. Deinde certius eadem Solis loca & partes, quas quotidie Sol peragrat, ex Ephemeridis colliges: ybi etiam scrupula minora, non gradus solūm integri, ad dierum singulorum meridianum tempus exprimuntur: ex quibus motum Solis diurnum, & ad quoduis momentum verum eius locum inuestigare licet.

Tertiò ex ipsius Tridentis posteriori parte, ita gradum, quem Sol eo tempore tenet, hac ratione expedite inquires. Quære in annuo seu xii. mensium orbe, huius rotulæ extremo, mensem eiusque diem propositum: quo inuenito, Indicem seu filum, quod ex Rotulæ medio propendet, ad inuentum mensis diem applica, statimque hoc ipsum filum siue Index gradū in Zodiaci orbe interiore proximo, quem Sol per id tempus occupat, monstrabit. Ethoc quidem ita facile est, ut exemplo nullo egere videatur. Sciendum au-

tem

tem h̄c est, hoc modo veri loci Solis ipsa scrupula ob Instrumenti paruitatem, & anni rationem (quæ varia, nec eadem semper est) ad amissim cognosci non posse: neque etiam in huius Instrumenti vsu tām exactē ijs opus esse. Illud tamen postremō considerandum, & obseruandum diligenter, num annus ille bissextilis sit, nec ne: hoc est, num dies aliquis Februario mensi post vicesimum quartum sit interiectus: quod quarto quoque anno fieri solet. Tali itaque anno post diem Intercalarem, qui est vicesimus quintus Februarij, non ad propositum diem, locus Solis inuestigandus est, sed ad consequentem: quam rationem non tantum ad finem illius anni, sed etiam ad sequentis anni vicesimum quartum Februarij obseruabis.

Verbi gratia, si anno præsenti, qui intercalaris sit, ad x v. Martij, locum nosse cupias, quem sol eo ipso die occupat: tum non ad propositum x v. Martij: sed ad consequentem, hoc est, x vi. Martij filum seu Indicem deducas: qui tandem locum Solis sextum ferè gradum Arietis ostendet.

Cæterūm, num annus bissextilis sit, id ex Ephemeridibus & Diarijs clarum satis est: Sin verò ad manum non sint, hoc modo cognosces: Annorum numerum à C H R I S T O nato per quaternarium diuide: si nihil, facta partitione, reliquum sit, annus ille bissextilis appellatur. Si verò primus à bissexto annus sit, vnum restabit: si secundus, duo: si tertius, tria relinquuntur. Quæ cum satis nota omnibus sint, pluribus non explicanda videntur.

II. De die mensis absque radijs Solis, quouis momento, colligendo.

F It nonnunquam, vt mensis, diesque memoria nobis ~~ex~~-
cidat: atque eorum omnino obliuiscamur: vtrumque
igitur per cognitum nobis vnde cunque Solis gradum, ex eo-

dem Tridentis orbe cognosces. Filum enim per Solis locum deductum in extremo rotulae ambitu, mensem, eiusque diem monstrabit. Res ita clara est: ut explicatione longiori minimè indigeat. Quomodo autem idem dies, & mensis interdiu ex radijs Solis, etiam si de gradu eius minimè constet, indagandus sit: mox, ubi de altitudine tunc Solis, tum stellarum dixerim, ob oculos ponam.

III. De altitudine Solis, ac stellarum supra Horizontem inquirenda.

Altitudinem Solis, & stellarum supra Horizontem numeramus in eo verticali circulo, ad quem Sol, vel stella, motu primi coeli deductus, conspicitur. Cum enim punctum verticale, Arab. Zenith dictum, quod directè vertici nostro respondet, omnium summum & altissimum, & æquabili intervallo ab Horizonte disiunctum sit: sit ut in ijs circulis, qui per hoc verticis punctum deducuntur (inde verticales dicti) & in Horizontem vndiquaque descendunt, altitudes Solis, Lunæ, cæterarumque omnium stellarum numerentur. Altitudo igitur Solis, vel stellæ supra Horizontem, est arcus circuli per verticem transmissi, inter Horizontem, & ipsum Solis centrum, vel stellam, vel aliud quodvis cœli punctum, cuius altitudo inquiritur, interceptus.

Hæc autem Solis, vel stellæ sublimitas, paulatim ab Horizonte ortiuo, Sole, stellâue motu primi coeli progrediente, augetur: donec Sol, vel stella, quam proximè ad verticem nostrum accedat, ipsumque meridianum orbem contingat: in quo tum omnium maximam eius diei altitudinem supra Horizontem consequitur. Atque hæc quidem Solis altitudo meridiana: stellarum verò, maximæ appellantur. Deinde à Meridie, eadem ratione decrescit, minuiturque altitudo:

tudo: donec sub Horizontem Sol, vel stella descendat. Describuntur in nonnullis instrumentis, & globis hi altitudinem circuli omnes: & à vertice seu Horizontis polo æquilatera distant. In hoc autem Triente nostro tantum horum orbium gradus ad dextram annotatos vides, à quinque ad xc. ascendentes, cum hac inscriptione, GRADVS ALTITUDINVM.

Iam ergò altitudinem Solis supra Finitorem inuestigaturus: latus Tridentis dextrum Soli splendeti opponito: ita quidem, ut filum in Tridentis centro affixum, liberè in parte anteriore pendeat: ac tamdiu Tridentis centrum, attollatur, deprimitur, dum Solis radius per utriusque pinnacidij (quæ in latere sinistro, supra Zodiacum prominent) foramen directè transeat. Hinc gradus in Tridentis orbe extremo, quos filum liberè dependens commonstrabit, notentur: qui protinus ex numeris adiectis, quantum Sole ipso momento temporis supra Finitorem exaltatus sit, exactè indicauerint.

Nocturno autem tempore, si stellarū supra Horizontem sublimitates inuestigare cupias, eodem planè modo agito. Sed quandoquidem stellæ radios, sicut Sol, non projiciunt: necesse est, ut eas per ipsa foramina contempleris: vel si id foraminum paruitas prohibeat, ad Tridentis latus, cui pinnae appositæ sunt, intuearis.

Idque semper memineris, ut perpendicularum seu filum, globulum appensum habens, liberè etiam pendeat: quod quidem gradus, eorumque numerum demonstrabit.

Postremò hanc Solis vel stellæ altitudinem obseruatam, si à toto quadrante verticalis circuli, hoc est, 90. gradibus auferas: relinquetur eorundem à verticali puncto interuum: cuius etiam spacijs certus usus erit.

IV. De loco Solis, & die mensis, quo quis momento temporis, splendente Sole deprehendendo.

Ex inuenta Solis altitudine supra Finitorem, quocunque dici momento, poteris tum Solis in Signifero locum (si de eo antea nō constet) hac via deprehendere: tum in mensis ac diei notitiam peruenire. Ac primum tibi nota sit, & proposita aliqua hora, vel certa horæ pars, eaque vel ex solario, vel alio quo quis horologio cognita. Nonnulli meridianum tempus ad hoc eligere consueuerunt. Veruntamen idem quavis diei hora rectè per Trientem cognoscere institues: & quò longius à meridiano tempore, siue antè, siue pòst fiat, eò etiam certius locum Solis inuenies. Propositaitaq; hora, mox Tridentis centrum Soli splendentि obuertito: eiusq; supra Horizontem altitudinem obseruato: quam filum seu perpendicularum liberè pendens, in limbo Tridentis ostendet. Translato pòst eodem filo ad scalam graduum in dextro Tridentis latere, vniōnem mox ad ipsum altitudinis deprehensum gradum collocabis: quo quidem vniōne sic immoto tandem filum ad temporis tui momentum, hoc est, ad horam propositam deducito: ita vt ipse vnio etiam horam, vel horæ partem contingat. Vbi postremò in transuersis arcubus, qui parallelos Zodiaci signorum referunt, ad meridiani lineam, ad quam Signifer depictus est, aspectum deduxeris: occurret illico signum, eiusque gradus, quem Sole o tempore occupat. Hi enim arcus omnes Solis parallelos ostendunt, ac quotidie in quibus Sol moueatur, atque etiam quādiu supra Finitorem commoretur, indicant. Verū licet bina singulis spacijs Zodiaci signa contineantur: vtrum tamen eligendum, per facile habita temporis, annique ratione quiuis discernet.

Quod

Quod exemplo illustrabimus. Sit, verbi gratia, iam tertia diei pomeridiana: vel nona eiusdem ante meridiem: ac inde diem mensis Ingolstadij, Augustæ, Tubingæ vel alibi, in hoc tamen climate, cognoscere placat. Obseruo igitur vtrauis hora altitudinem Solis: quam perpendiculum, xii. graduum, xxx. ferè minutorum ostendit. Hac inuenta, filum ad altitudinem gradus deduco: vnionem verò ad gradum xii. & scrupula xx. promoueo: hinc eundem in filo permanentem ad horam i. x. vel 3. statutam transfero: qui statim parallelum, cuius Soleo ipso die vestigia quasi relinquit, commonstrabit. Itaque ad eum, si sursum ad meridianum usque oculos conuerteris, animaduertes parallelum hunc, decimum Aquarij, vel xx. Scorpij gradum, indicare. Iam vtrum signum ex his duobus Sol occupet, si scire velis: considerandum est, num dies augescant, vel minuantur: quod, obseruato anni tempore, facile erit dijudicare. Nam à Bruma cum Sol longissimè in Austrum ab AEquinoctiali recessit, Capricornique principium ingreditur: paulatim ad nos, versus Aquilonem concedit, diesque auget. Atque per id tempus anni, quo dies nobis crescunt, Solem per sex signa, quæ Ascendentia vocantur, moueri certum est: donec ad primam partem Cancri accedat: vbi longius in Septentriionalem regionem non progreditur, sed in aduersam mundi partem cursum suum infle&tens, ad Austrum deniq; descendit. Ab hac verò Solis reciprocatione æstiua dies sensim usque in Brunam decurtantur: quo quidem tempore Sol hæc signa emetitur: Cancrum, Leonem, Virginem, Libram, Scorpium, & Sagittarium: quæ in ipso Triente à centro deorsum, versus eiusdem limbum annotata conspicis. Ascendentia autem sunt, Capricornus, Aquarius, Pisces, Aries, Taurus, & Gemini: in quibus Sol à Bruma usque ad Solstitium commoratur: longioresq; quotidie dies reddit. Hinc itaq; collige: si eo tempore dies augeantur, Solem in Aquario,

rio, eiusdemque x. gradu commorari: si minuantur, Sollem tum xx. Scorpij gradum occupare. Vnde & hoc disces, signorum ascendentium gradus sursum versus: descendientium vero contra deorsum numerandos esse: quod quidem signorum characteres significare videntur. Cognito tandem Solis gradu, citra difficultatem ex Tridentis posteriore parte mensis diem, qui huic gradui respondet, xx. nempe Ianuarij deprehendes.

V. De meridiana Solis altitudine, certoque meridiani temporis momento indagando.

SI autem ipsam horam, eiusque partem ignores: (hactenus enim de certa horæ parte dictum est) in ipso meridie hoc idem cognoscere poteris. Instituenda itaque est Meridiani temporis obseruatio. Meridies est, cum Sol in Meridiano constitutus, ac æqualiter ab Orientis & Occidentis partibus disiunctus est: quod quidem expeditè per Tridentem experiri licebit: hoc modo. Obserua eius altitudinem idq; semel, atque iterum, ac saepius facito: quam cum aegeri animaduertes, antemeridianum est tempus: tamdiu vero inuestigando perge: donec maximam eius deprehenderis altitudinem, que & meridiana à meridie, quod in eo accidat, nominatur. Inde à meridie Solis altitudo non accrescit: verum ad Occasum cōmeans eadem ratione decrescit, minuiturque. Hac ostensa via, inuenio meridie, Solis quoque meridiana supra Horizontem altitudo, quæ, ut dixi, eius diei maxima est, cognoscitur: ac inde Solis locus inueniri, & in diei cognitionem commodè perueniri potest. Eadem prorsus ratione nocturno tempore stellarum altitudines inquirere, ac num ad Meridianum circulum primi cœli conuersione

sione perductæ sint, scrutari licebit: sub quo circulo cum pari ab Ortu, & Occasu spacio distent, maximas etiam altitudines habere certum est. Nam dum harum supra Finitorem altitudo augetur, vt Solis etiam, nondum eas ad meridiem, seu Meridianum circulum peruenisse constat. Cum verò minuitur, contrahiturque earum altitudo, tum eas eundem meridianum transiliisse, ac iam occidentem mundi plagam petere non est dubitandum.

VI. De Verticali circulo, in quo Sol consistat, inuestigando.

Verticales circuli, Arab. Azimuth dicti, sunt, vt supra dixi, qui per Verticis punctum deducti, ad perpendicularium Horizonti insistunt. Inter quos cuiusvis etiam loci Meridianus numeratur. Vnus autem ex omnibus nomen Verticalis circuli præcipue obtinet, & primus à nobis vocatur, qui Meridianum nempe circulum in Zenith seu vertice nostro ad rectos angulos dissecans, in ea Horizontis puncta descendit, quæ veri seu AEquinoctialis ortus & occasus notæ sunt. Hic porro Verticalis vna cum Meridiano Horizontem, totumque hemisphærium supra eundem receptum, in quatuor æquas distribuit partes, quæ vt à Meridiani locis aduersis, ita etiam ab ipsis Ortus, & Occasus punctis nomina acceperunt. Ea enim, quæ Meridiano atque veri Ortus puncto, vbi Aries, & Libra sunt, compræhēditur: quarta, seu plaga mūdi Oriëntalis Australis nuncupatur: altera verò, quæ inter idem Ortus punctum, & Septentrionē continetur, Septentrionalis Orientalis pars dicitur. Cōsimili modo reliquæ oppositæ mundi partes, Meridiano, & Occasus veri notā interceptæ: quæ ad Austrum vergit, Meridionalis Occidentalis: altera Septentrionalis Occidentalis appellatur. Sed ad institutum accedamus. Cum igitur nosse desideras, in

quonam Verticali circulo Sol commoretur, hoc est, si à Vertice per centrum Solis arcum in Horizontem usque deducas, quantum is vel à verticali primo, vel meridiano etiam orbe distet, ad hunc modum cognosces. Altitudinem Solis per præcedentem propositionem inuestigato: ad eam inuentam in filo vniōne perducito: Deinde filum cum eodem vniōne ad Solis parallelum, vel horam notam, eiusque partem collocato: ac sic idem filum seu perpendicularum in extremo Tridentis orbe, quem Limbum vocamus, Verticalis numerū perspicue declarabit. In qua verò plaga cœli Sol confistat, ex eodem sole facilè idem iudicare, ac tandem Tridentis limbum accommodare licebit. Nam Ortus & Occasus veri puncta, demonstrantur per AEquinoctialis cum Horizonte concursum, ad horam sextam ante, & post meridiem. Duodecima verò hora Meridianum similiter declarat. Exempli gratia: Altitudo Solis, supra Finitorem accepta, sit graduum $xxviii$. in occidentali plaga, idque hora quarta pomeridiana, vel Sole Tauri principium lustrante. Deducto itaque vniōne ad $xxviii$. altitudinis gradum: ac mox eodem ad parallelum Tauri, vel horæ quartæ arcum translato: idipsum filum in limbo Verticali, quem tum sol occupat, nempe xvi . ab Occidente Meridiem versus exhibebit: & sic de reliquis.

VII. De eodem Verticali, absque radijs solaribus, cognoscendo.

Quare primū in anteriori parte, arcum temporis propositi, hoc est, horæ, eiusque partis: deinde, quo in loco Solis parallelus eundem horariorum arcum transmittat, atque intersecet, diligenter animaduerte: mox per eorum concursum sectionemque filum directè extende: quod statim

tim in limbo, inter altermos nigros albosq; gradus Verticalem, seu Azimuth optatum monstrabit. In quam autem cœli partem, seu mundi plagam Azimuth declinet, facile id, vel ex ipso Solis in cœlo loco, vel tempore & hora, ad quam id inquiris, dijudicare poteris. Atqui memineris perpetuo, ne horas matutinas cum pomeridianis confundas. Hinc enim neque plagas cœli, neque alia distinguere inter se, facile liceret.

VIII. De hora vulgari ex altitudine Solis cognoscenda.

Cognitus horas diei vulgares, Sole spendente, quæ cæquales vicesimæ quartæ partes sunt diei naturalis: & communes vulgaresque dicuntur (quod ubique ferè gentium hoc tempore in vulgus notæ sint) primùm Solis locum ad id tempus, per modos suprà ostensos, explorabis. Deinde Triente aduersus Solem obiecto, radium eius per tabularum foramina excipies: ita ut radius vtrumque foramen transeat, libereque perpendicularum ex centro pendeat. Mox altitudinem eius, quam filum dependens notabit in altitudinum scala numerabis, ad eamque vniōne promouebis. Composito sic vniōne, eoque fixo permanente, filum sinistrorum deduces, donec idem vnio in parallelum, per solis locum descriptum, incidat: isque statim horam, horæque partem in descendentibus transuersis lineis horarijs seu arcubus perspicue demonstrabit: siue ea antemeridiana hora sit, siue pomeridiana. Sunt enim binæ numerorum notæ singulis horarijs lineis adiectæ: quarum quæ supra Cancri tropicum annotatae, horas pomeridianas significant: quæ autem sub Capricorni parallelo, & ad horizontē ipsum descriptæ sunt: horas antemeridiani temporis declarant. Itaque ut certò tibi de hora constet, ac quid pronunciādum

fit, scias: neque in horis, earumque numeris erres, diligenter animaduertes, num in Orientis parte Sol adhuc commoretur: an verò iam Meridianum prætergressus, versus Occasum properet. Quod quidem varijs modis dignoscitur. Nam vel ex elapsō diurni temporis spacio clarum id esse poterit: vel ex Solis in cœlo loco ac situ depræhendere licebit: vel ex altitudine Solis, de quibus supra satis dictum est: vel denique ex umbris. Ut enim solis altitudo antemeridiano tempore accrescit: ita umbræ minuantur, rei scilicet ad rectos angulos erectæ. Sin autem hæ crescant, illaque, Solis altitudo, minuatur, Solem iam Meridianum transiisse, ac in occidentis plaga versari, minimè dubitabis.

Cur autem bini singulis horarum lineis numeri appositi sunt, licet suprà in organi huius descriptione, & lineamentorum quoque explicatione satis declaratum arbitrer: breuiter tamen eadem hoc loco in memoriam reuocanda existimo. Accidit hoc ideò, quòd binis semper horis æquali temporis interuallo à Meridie disuntur, eadem solis altitudo omnino existat. Hora nempe xi. & Prima: Decima & Secunda: Nona & Tertia: & sic de reliquis. Nam Sol in Meridie semper altissimus est: ac utrinque ab Ortu & Occasu æqualiter distat. Inde quoque duodecima hora Sol summum occupat locum. Sicut verò ante meridiem singulis horis Sol progreditur, atque ad verticem paulatim consendet altius: Ita eadem ratione, & altitudinis proportione à Meridiano in Occasum delabitur. Hinc itaq; efficitur, proximam horam antè, & primam post meridiem eandem altitudinem habere. Eaqué de causa factum est, vt ijsdem lineis binæ horarum notæ inscriberentur. Totum hoc negotium nihil obscuri habere videtur: vnico tamen exemplo illustrabo. Tricesimo die Ianuarij horam inuestigaturus matutinā, Solem prius xx. Aquarij gradum occupare ex Ephemeridibus, vel rotula addisce: mox ad idipsum momentum altitudinem

dinem eius inquire, quam x v. graduum inuenies. Itaque ad decimumquintum grad. in altitudinis linea vnione deducto, filoque cum eodem firmo ad Solis parallelum accuratè promoto, vnio horam nonam ante meridiem demonstrat, vel tertiam pomeridianam: qua etiam Sol eadem omnino altitudine supra Finitorem sublatus in occidentis parte consistet. Atque hac via quamuis diei horam Sole splendente explorare licebit.

IX. De altitudine Solis, ad quamuis horam propositam absque eiusdem radijs, inuenienda.

CUpimus aliquando Solis altitudinem noscere, eamque tamen ob cœlum nubilum ex radijs Solis depræhendere non licet. Hanc igitur sic inuestigabis. Posteaquam Solis locum in Zodiaco ex præcedentibus notum, & horam, seu temporis momentum, ad quod altitudo inquiritur, constitutum habes: considerabis, vbi parallelus, quem eo dicit Sol circumiectus describit, & horæ propositæ arcus sese mutuò contingant. Ad horum concursum, seu intersectionem potius deduces vunionem. Deinde filum vniōne sic manente, ad altitudinis gradus transferes: vbi statim ad id tempus, quot altitudinis partibus Sol supra Finitorem attollatur, addisces.

Vel per Verticalē Solis cognitum ad hunc modum eandem depræhendes. Filum ad notum iam verticalem in limbo collocato: vniōnem verò ad fili huius, & vel paralleli Solis, vel arcus horæ propositæ intersectionem deducito: is sic fixus, filo ad altitudinum gradus, vt prius, translato, Solis ad tempus propositum altitudinē patefaciet.

Ita his modis cœlo nubilo, soleque suos nobis negante

radios, ad quævis momenta, eius supra Horizontem sublimitatem capere, atque inuestigare potes. Et licet hæc perspicua satis ex antè traditis videantur: exemplo tamen breuiter declaremus. Ut constet nobis Solem certo momento in xxx. Verticali ab Occasu Austrum versus consistere, hora nempe quarta post Meridiem: cupio iam ad id temporis momentum Solis altitudinem nosse. Filo igitur ad xxx. Verticalem posito, & vnione ad eiusdem fili, & horæ quartæ intersectionem composito, imponatur tandem filum scalæ Altitudinum, ibiç; vnio altitudinem Solis tum supra horizontem esse xiiii. ferè graduum demonstrabit.

De Meridianâ autem altitudine, quomodo alia atque alia ratione indagetur, infra dicetur: quando de Solis & stellarum declinationibus tractabitur.

X. De Hora ortus & occasus Solis cognoscenda.

Tam de hora ortus Solis, & eiusdem occasus breuiter dicemus. Exortum Solis appellamus, quando ipse conuersione primi mobilis supra Horizontem seu Finitorem nostrum emergit: Occasum, contra eiusdem sub Finientem descensum, atque occultationem. Qua igitur hora Sol Finientem ex vtraque parte adeat, siue exoriatur, siue demergens occidat: facile ex anteriore parte Trientis in ipso Horizontis ambitu ad hunc modum patesiet.

Solis locus in Signifero orbe cognitus sit: deinde eius parallelus in Zodiaco, quem Reuolutionum appellamus, inuestigetur: in eoque ad Finitorem usque aspectus dirigatur, adeoque, si placet, vel stilo eò descendatur, ac tandem consideretur, cum quo arcu horario in Trientis ambitu is parallelus concurrat. Is enim arcus ad tempus, diemque constitutum

tutum horas ortus, obitusque Solis commonstrabit. Et occasus quidem horas numeri superiores, minoresque, quos pomeridiani temporis esse diximus. Ortus vero inferiores grandiusculi ad ipsum tropicum Capricorni, atque Horizontem adscripti, significabunt. Ad quam inuestigationem nec filo, nec vnione opus fuerit. Verbi gratia: scire aueo, qua hora Sol exoriatur ad vndeceim^m diem Aprilis: quo die cum in signum Tauri Sol ingrediatur, eiusdem in Zodiaco gradum ac parallelum quaro: inuenio eo, stilo inde, vel oculis quasi in orbita ad Horizontem usque procedo: ubi protinus per horariam descendantem lincolam incuruam, quae cum parallelo in Horizonte concurrit, Solem eo die hora quinta matutina exoriri: hora vero septima pomeridiana obire, subq; Horizontem descendere ostenditur.

XI. De dierum, noctiumq; longitudine deprehendenda.

Inuentam horam ortuam, qua Sol supra Horizontem nostrum ascendit, si duplicaueris, nocturni temporis longitudinem produces: Eam sic duplicatam si ab integro die naturali, hoc est, xxiv. horis subduxeris: diei, quem Artificialē nuncupant, magnitudinem, seu diurnum tempus colliges. Aut si libet, ab exortu Solis in eiusdem parallelō horas ad meridiani usque lineam numerato: quae horæ tempus semidiurnum, hoc est, ab ortu ad Meridiem declarabunt. Velauffer horam ortus Solis ex duodecim, quod relinquetur, semidiurnum tempus, horamque obitus indicabit. Quam eandem ex Triente simul cum ortu Solis deponi posse ostensum est. Hanc vero si ex eodem duodenario numero demas, seminocturnum item spaciū prodibit. Vt rurisque vero tempus, & semidiurnum, & seminocturnum, si postea separatim duplices: integrā diei artificialis, noctis-

noctisq; quantitatem patefacies. Hæc plana & aperta sunt: vt, Solem primam partem Tauri occupantem, exoriri manè circiter quintam diximus: occidere verò post meridiem septima. Hinc semidiurnum tempus horarum viii: semi-nocturnum verò v: totiusque diei longitudinem xiv: noctis verò x. similiter horarum esse intelliges.

XII. De die ignota per horam ortus exploranda.

Porrò ex hac ortus, vel occasus hora, moraque super Definientem, in diei ac mensis cognitionem, hoc modo expeditè perducēris. Cognita enim quocunque modo Solis ortus, obitusue hora: eam, eiusque partem in Horizonis ambitu inquires: mox in parallelo, qui cum hora ibidem incidit, versus Meridianum & signiferum progredere, vbi illicò signum, & signi partem parallelus, in quo Sole tempore circumvoluitur, commonstrabit. Memineris autem eorum, quæ suprà de his annotata sunt. Nam dies auge-scant, nécne, considerandum erit: qui si crescent, in priori, ad dextram signiferi, parte, id est signis Ascendentibus, Capricorno, Aquario, Piscibus, Ariete, Tauro, & Geminis Sol commorabitur: quod fit mense Decembri, Ianuario, Februario, Martio, Aprili, Maio, & Iunij parte: sin autem minuantur dies (quod altero semestri fieri solet) in sinistra signiferi parte, qua Sol à nobis ad Austrum descendit longius, signum, signique gradus obseruandus est. Quo quidem solis loco inuento, ex superiobus facilis & expedita cùm mensis, tūm diei inuestigatio est. vt: hoc ipso tempore, cum videam Solem paulò post septimam exoriri, hoc est, quarta ferè parte: in parallelo igitur eo, qui ad notam horam pertingit, ad signiferum conspectum dirigo: vbi cum dies crescere sciam, inter Ascendentia, signum & eius partem eligo.

eligo. Ostendit igitur parallelus Aquarij xx. gradum, quem Sol hoc tempore occupat: cui dies xxx. Ianuarij ferè in Tridentis dorso respondet.

XIII. De Stella Polari, & plaga mundi perquirenda.

Hactenus de ijs, quæ interdiu Sole splendente cognosci possunt, diximus: nunc breuiter quoq; horas nocturno tempore inuestigare docebimus. Solis quidem proprium est tempus omne distingue: Hic tamen quia noctu præsentiam suam nobis subtrahit, & ad Antipodas usque descendit: horæ, aliaq; eo tempore stellarum ope perquirenda, obseruandaque sunt. Ac antè quidem, quām ad horarum inquisitionem accedamus: ipsæ, mundi plagæ, stellæ item nonnullæ insigniores diligenter sunt dignoscendæ. Has vero expeditius, multoq; certius monstrator digitus, quām scriptura potest ostendere. In mutis enim magistris licet perdiligenter etiam negotium omne describatur: difficultis tamē sine demonstratione oculari eius videtur intelligentia. Qui verò ad hanc præclarissimam Astrorum scientiam natura sunt promptiore, ex sequentibus facile, quomodo in stellarum splendidarum cognitionem veniant, addiscent.

Mundi autem partes seu Cardines facilimè hoc modo cognosces. Solarium (quod vulgo Compassum appellare consueuerunt) ante te deponas in planicie, Horizonti undique ad libellam æquidistanti: idque huc illucque moeas, donec lingula seu furcella mobilis alteri depictæ respondeat, quasi horas interdiu inuestigaturus: deinde visus aciem ad fili (quod axem mundi repræsentat) quasi normam, in cœlum usque dirigas: & quæ stella primò in con-

spectum venerit, ea vicina polo Arctico erit: inde Polaris stella dicta, & in extrema minoris Vrsæ cauda collocata est: quam vulgo nautæ Itali Tramontanam, Arabes Alrucaban nuncupant. Si enim eousque filum Compassi pertingeret, eam ipsam stellam, immò polum propinquum attingeret: circa quem vtraque Vrsa volui tota nocte cernitur. Hac tandem stella cognita aspectum, faciemq; tuam aduersum eam planè conuertas: tum eam cœli partem, quam Sol in Meridie transiit à tergo: ad dextram verum Solis ortum: ad læuam eiusdem occasum habebis: quatuor nempe insigniores mundi cardines, quas regiones aliâs, plagaſtē appellare solent.

XIV. De stellis fixis XVI. insignioribus in cœlo cognoscendis.

Sed ad stellas ipsas splendidiores tantum cognoscendas sacerdamus. Absque quarundam enim stellarum cognitione, absolui varius & copiosus Tridentis usus non potest. Ex omnibus autem stellis, quæ octauo orbi inharent, perpetuoque immutabilibus inter se spacijs circumvoluuntur, selegimus sedecim tantum, quas & cæteris insigniores, & ad institutum nostrum, hoc est, ad horas noctis discernendas, situ suo magis aptas atque accommodatas existimauimus. Harum situs, magnitudines, aliaque plura in confectione huius instrumenti annotauimus. Stellas ipsas hoc loco tantum enumerabimus.

1. Prima omnium in ore Canis Maioris apparet lucidissima, & primæ magnitudinis stella, à qua etiam totum sydus nomen accepit.
2. Secunda est Canis minor.
3. Hydra.
4. Cor Leonis.
5. Cauda Leonis.
6. Spica Virginis.
7. Arcturus.
8. Cor Scorpij.
9. Lyra.
10. Aquila.
11. Ala Pegasij.
12. Venter Ceti.
13. Pleiades.
14. Oculus Tauri.
15. Sinister pes Orionis.
16. Dexter humerus Orionis.

Si igitur harum stellarum quancunque noctu, cœlo sereno cognoscere cupis: Indicem siue filum ex rotula in posteriori Trientis parte propendens, ad horam certam, siue ante, siue post mediam noctem, qua scilicet cœlum contemplari, ac stellas dignoscere voles, collocato. Mox diem, exteriori orbi in rotula inscriptum, sub ipsum filum deducito: ac ita orbe seu rotula ea immota, qui stellarum numeri ad duodecimam diei horam proximi sint, considerato: easdem quoque stellas iuxta Meridianum eo tempore in cœlo existere, persuasum habeto. Verbi gratia: si filum per septimam horam pomeridianam duxeris, atq; eò etiam xv. diem Ianuarij promoueris, iuxta duodecimam horam diurnam, numerum decimum tertium, qui Pleiades ostendit, inuenies. Occupabunt itaque Pleiades supremum quoq; inter ortum, & obitum in cœlo locum. Deinde cum Tauri signum consideraueris, totiusq; illius signi imaginem diligenter animo conceperis, facile non solum Pleiadum nubeculam, verùm alias quoque stellas vicinas (vt sunt Hyades, inter quas & Palilicum, seu oculus Tauri est) dignoscere poteris: semper tamen & iusta earum inter se proportione & interuallo, & ortus obitusq; situ, obseruatis. Idque etiam modo expeditè ex ipso Triente colliges. Trientis dorsum, in quo Rotula circumducitur, aspectui tuo opponito: aspectum verò, centrumque Trientis ad eam cœli partem, quam Sol Meridiano tempore occupat, conuertito: ibi statim stellæ in Rotula annotatae se offerent eodem planè ordine, quo in ipso cœlo existunt: vt inde illas facile inter se discernere possis: ac quæ earum supra, vel infra Horizontem existant, hora sexta vtraque demonstrabit: quæ item stellæ ad occidentis, quæ ad orientis cardinem conspici possint, clarum inde, atque manifestum erit.

XV. De ijsdem stellis in medio cælico constitutis, commodè notandis.

POfflunt alijs quoq; modis eadem stellæ absq; monstrato
re, & certius, quām antè docuimus in cœlo dignosci.
Collocetur primò filum, quod indicis officio fungitur, in
dorso instrumenti ad xii. horam, hoc est, ad Meridiem,
ipsumque Tridentis centrum: Deinde stella in ea cœli parte
cognoscenda, sub filum aptetur: & rotula immota sic con-
sistente, filum per diem propositum ducatur: statimq; in
Tridentis exteriori limbo horam, qua ea stella medium cœli
occupatura est, ostendet. Vt, si ad xv, Ianuarij scire cupiam,
qua hora Canis maior in Meridiano futurus sit: eius stellam,
quæ vnitate notatur, sub filum seu Indicem ad horam xii.
diurnam repositum, deduco: tum rotula eadem immota
permanente, in extremo limbo per diem xv. Ianuarij filum
extendo: quod in horario circulo ipsam quæsitam horam
ferè decimam à meridie indicabit: eâ itaque horâ si cœlum
inspiciatur, quæ splendidior stella iuxta Meridianum appa-
rebit, eam Canem maiorem esse, rectè dixero. Ac inde si
aliarum quoq; stellarum situm cum inuenta ex depictis ima-
ginibus stella considerauero, & hanc, & alias vicinas certius
faciliusque discernam.

XVI. De aliis modis easdem stellas cognoscendi.

EST & alijs, & priori quidem certior ad idem cogno-
scendum modus. Principio tibi horam nocturni tem-
poris aliquam propone: deinde filum vel Indicem ad eam
extende: eiq; diem præsentem in extremo orbis circulo sub-
ijce:

ijce: poste à orbe sic fixo, Indicem ad centrum stellæ, quam cognoscere cupis, pro trahe: idemque Index quam horam, horæque partem ostendat, animaduerte. Porrò cœli ratione habita, diligenter stella illa Orientemne versus, an Occidentem sit posita, quantumque à Meridiano in ortum absit, vel an eundem in occasum tendens, reliquerit considera.

¶ Illud verò memineris: stellas à sexta pomeridiana ad sextam matutinam (quæ quasi horizontis munere funguntur) parti rotulæ in feriori inclusas, sub Finitore nostro occultatas latere: nec eas in cœlo ad id temporis momentum conqui-rendas. Itaque cœli parte probè considerata, partem Tridentis anteriorem ingredere, & in ea eiusdem stellæ parallelum assume' quem, vt cæteros stellarum parallellos, punctim descriptum inuenies. Notantur autem iuxta stellas suas, numeris quoque suis paralleli. Quo quidem inuento, mox horam in dorso antè inuentam, etiam assume: ac, si inter ortum, & meridiem stella apparuerit, in Facie Tridentis quoque antemeridianam eandem horam elige: & ad horam, eiusq; partes in parallelo stellæ cognitas, vunionem promoue: eoque fixo consistente, ad scalam Altitudinum filum admoive: tum vnio stellæ ad id tempus altitudinem patefaciet. His tandem absolutis, ad eam te plagam mundi conuerte, in qua stellam antè in Tridentis tergo constitutam habuisti, ac per tabularum foramina stellam eam deserua: tamdiu Triente subinde exaltato, depresso, donec perpendicularum ad stellæ propositæ altitudinem inuentam, directè dependeat. Iam verò hinc inde paululum stando te conuerte, dum, Triente ad prius eognitam altitudinem rectè intento, stellam aliquam insignis magnitudinis per pinnulas conspexeris: ea ipsa erit, quam in cœlo ad inquirendum tibi proposueras.

Exempli gratia: Notaturus in cœlo Canis Majoris splen-didissimam, filum in dorso ad horam octauam pomeridia-

nam deduco: eoque propositum diem xv. Ianuarij transfero: post idem filum, orbe immoto, per stellam primam vnitatem consignatam, id est, Canis maioris extendo: ipsumque filum in Tridentis limbo, stellæ horam x. antemeridianam exhibebit. Ea igitur stella meridianum circulum nondum transiit: sed ortum versus ab eodem horis ferè abest duabus. Hinc, si considerem, ubi Sol in Meridie fuerit, locum etiam stellæ facili coniectura assèquor. Deinde eandem stellæ horam, in eiusdem quoque parallelo anterioris partis conquirro: illucque vniōnem deduco: filum insuper cum eodem vniōne ad altitudinum partes repono, ac stellam partibus 23. ferè supra Finitorem nostrum exaltatam eo momento depræhendo. Tridentem igitur ad ostensam cœli plagam, hoc est, horam x. ante meridiem, conuerto: eundemq; ita manibus attollo, deprimoūc, donec filum ad 23. gradum exquisitè dependeat. Quæ tandem per foramina Tridentis lucida stella in oculos incurret: ea ipsa Canis Maior est. Porrò cognita aliqua stella, ut, quam Oculum Tauri vocant: nihil laboriosa hac opus est inquisitione: sed facilimè Pleiades inde discerni possunt ab alijs, cùm ratione situs, tum quod instar globi, aut nubeculæ plures sunt coniunctæ. Neque incommode quis fecerit, si Luna crescente lucidiores dignoscere studeat: tum enim, quæ sunt primæ & secundæ magnitudinis, apparent, minores obscuratae latent. Ex Lunæ itaque situ & loco, reliquarum quoque loca, situsq; facile depræhendi possunt.

XVII. De horis noctu per stellas inueniendis.

NOcturno tempore horam communem ex fixarum ali-
quâ inuenire cupiens, quæ quidem eo momento su-
pra horizontem appareat: primum stellæ altitudinem, ut
suprà

suprà de Sole dictum est, hoc modo capias sentis pinnulas versus stellam, in quacunque cœli parte confiterit, dirige: deinde sursum, deorsumue Tridentem vel deprime vel attolle, quoisque stella per tabularum foramina, vel saltem ad latera, oculo directe occurrat: ita tamen, ut perpendiculum pendere possit liberè. Mox graduum numerum nota, quem ipsum perpendiculum in limbo demonstrabit, stellæque altitudo is nuncupabitur. Hac cognita, filium ad altitudinem gradus transfer: & vunionem ad eandem in limbo obseruatam in scalarepone. Filum vunionemque sic fixum, inde ad stellæ illius parallelum punctis notatum colloca: eo tunc in loco, vbi vnio parallelum eundem continget, stellæ horam cum scrupulis exactè statim declarabit. Hæc autem hora, vera noctis hora non est, sed stellæ tantum locum indicat, eamque ideo STELLÆ HORAM posthac semp appellabimus. Solenim tantum extremi orbis conuersione dies, noctesq;, horas item omnis generis distinguit. Stellæ igitur hora sic intellecta, ulterius hoc modo agendum erit. Conuertatur Triens, ac per horam stellæ modo inuentam, Index protendatur, prout ea vel antemeridiana, vel pomeridiana fuerit: nimirum pro ratione plagæ cœli, in qua stella conspecta est. Sub Indicem deinceps stella ipsa collocetur, ac rotula sic fixa, Index per diem mensis, vel per locum & gradum Solis in Zodiaco, extendatur: qui tandem in extremo limbo horario, veram noctis horam commonstrabit. Neque quicquam est, quod teulterius hic remoretur.

Sit nobis exemplo, stella primæ magnitudinis, quæ Cor Leonis appellatur: per hanc noctis horam sic inuestigo. Ante omnia, quot gradibus ea ad momentum hoc supra Finitorem extollatur, obseruo: eaque sit, verbi gratia, 29. gradibus exaltata: tum inde in Facie Tridentis vunionem ad totidem gradus altitudinis transero: filumq; inter parallelos circumduco, usque dum vnio in stellæ parallelum incidat:

incidat: tum vnio (quod in parte cœli orientali stella apparet) horam vii. & scrupula 50. ostendit: & quidem hæc non vera noctis, sed stellæ tantum hora est. Ad veram autem ex hac eliciendam, Tridentis partem posteriorem conuerto: & ad inuentam stellæ horam, vii. & 50. minuta Indicem applico: ac sub eundem eandem stellam, vt dixi, quaternario signatam, in rotula deuoluo: rotulaque sic firma Indicem eundem per diem xv. Ianuarij deduco: tum is veram noctis horam ix. à meridie in limbo Tridentis demonstrat. Consimili planè via, reliquas noctis horas, per cæteras quoque stellas in Triente annotatas, explorabis.

XVIII. De Solis loco in Zodiaco, ac inde de mensis die, noctu per stellas in dagandis.

Si quis ex stellarum situ nocturno tempore mensem di-
Semque eius cognoscere cupiat: ad hanc formam opere-
tur. Principio stellæ alicuius, ex xvi. illis fixis, horam stellæ
appellatam, per altitudinem eius inquirat, vt superiori par-
te docuimus. Deinde ad inuentam stellæ horam Indicem
in posteriori Tridentis parte deponat: ac sub eundem, stellam
in orbe consignatam traducat: quo facto, veram noctis ho-
ram ex horologio aliquo benè instructo cognoscat: hoc
nempe momento, quo stellæ altitudo & hora quæritur.
Quod si ad propositam eam horam, horæque partem Indi-
cem reponat, rotula tum stante, Index in extremo quidem
circulo mensem, mensisque diem: in interiori verò orbe,
gradum Signiferi, à Sole eo die illustratum, indicabit. Rem
satis quidem claram, exemplo declarabo: Cupio hac no-
cte, hora ix. ex Pleiadum sydere, tum in diei, tūm loci quo-
que Solis notitiam peruenire. Itaque Pleiadum, quæ in Tri-
ente

ente 13. locum habent, altitudinem obseruo: quam pono graduum quinquaginta vnius esse, & quinquaginta minutorum. Igitur vniore ad eam collocato, atque ad parallellum earundem perdusto: vnio ipse horam stellæ secundam & dimidiam post meridiem demonstrat. Ad hanc horam 11. & scrupula 30. post meridiem in dorso Tridentis Indicem duco: ac Pleiadum medium sub eodem Indice sisto: Tandem rotula immota, Indicem ad horam ix. noctis, aliunde, ut dixi, per horologium cognitam, promoueo: isque tum demum & diem anni, xx. nempe Ianuarij, & Solis locum, xvi. ferè Aquarij, simul patefaciet.

XIX. De verticali circulo, in quo stella apparet, inueniendo.

SI scire cupis, quemnám Verticalē circulum harum stellarum aliqua occupet, facile id Tridentis ope depræhendere poteris. Primum stellæ illius altitudinem supra Finitorum ad quæstionis tempus inquire: mox vunionem ad eandem altitudinem in scala repone: quem vbi sic firmum ad stellæ paralellum traduxeris, filum illicò in Tridentis limbo azimuth seu Verticalem circulum, in quo stella consistit, ostendet. Qui si inter meridiani lineam, & horam vi. matutinam, in Horizonte annotatam, repertus fuerit: tum stella similiter inter meridianum orbem, & Verticalem primum (qui per Aequinoctialis ortum & occasum ducitur) in cœlo consistet. Sin autem Verticalis in superiori arcu limbi, inter eandem sextam horam, & scalam altitudinum, inuenitus fuerit, stellæ quoque locum à primo Verticali in Septentrionem discedere atque apparere scias: siue id in orientali, siue occidentali mundi plaga accidat. Ut, verbi causa, altitudo stellæ, quæ Cor Leonis vocatur, reperta sit lv. graduum: vnio ad totidem altitudinis gradus repositus, ac

ad parallelum quartæ stellæ, quæ Leonem significat, translatus, filum in limbo sexagesimum Verticalem orbem, à primo orientali versus meridiem numeratum, demonstrabit. Verticales autem, vt suprà dictum est, ab illo primo tanquam insigniori, in utramque partem numeramus. Is enim per verticale nostrum punctum, & Aequinoctialis ortum, & occasum transiens, Verticalis à nobis, vt dixi, absolute vocatur.

*XX. De amplitudine ortus, & occasus,
tum Solis, tum stellarum co-
gnoscenda.*

Ceterū ab eodem Aequinoctialis ortu, & occasu amplitudines quoque Solis, ac stellarum numerantur. Est autem amplitudo ortus, vel occasus arcus Horizontis inter æquinoctialis ortum, vel occasum, & Solis, aut stellæ ortum, obitumque interceptus. Ea verò duplex est. Sol enim, & reliqua sidera, à veri seu æquinoctialis ortus occasusque puncto, vel versus Aquilonem emergunt, similiterq; occidunt, eaque Septentrionalis amplitudo nuncupatur: vel versus Meridiem, & Australis nominatur. Hanc stellæ habent ab æquatore in Austrum declinantes: illam verò ab eodem in Boream sitæ. Et fixæ quidem stellæ, etiamsi ijsdem semper cœli punctis in hærere videantur: eosdem tamen amplitudinum arcus, ob earundem declinationis mutationem (licet per exiguum & tardissimum) perpetuò retinere non possunt. Sol verò quotidie proprio suo motu in Signifero progrediens, cum diuersis suis ab AEquatore declinationibus, alia atque alia, etiam ortus, obitusq;, puncta, modo in Austrum, modo in Boream obtinet. Dum enim ab æquinoctiali versus Aquilonem ascendit: puncta quoque exortus eius in Finitoris ambitu à vero ortu in Septentrionem recessunt,

cedunt, longiusque subinde remouentur. Cum vero cursum in Austrum inflebit, tum amplitudines eius, ab Aequatore in meridiem declinant, atque ad eundem proprius accedunt. Ita haec ipsa ortus, obitusque puncta, pro Signiferi obliquitate magis magisque variantur, mutanturque indies. Hinc facile intelligitur, cur triplicem veteres Ortum & Occasum fecerint: Aequinoctiale quidem & Verum nominant id Horizontis punctum, quod inter Austrum, & Septentrionem medium est: quod perperuo ibi in cuiusvis etiam regionis situ Aequinoctialis exoriatur, atque in regione occidat. Sol itaque in prima Arietis, & Libræ parte consistens, ibidem cum Aequatore pariter supra Finitorem ascendit & descendit. Aestuum deinde ortum & occasum vocant puncta horizontis, in quibus Sol ad primum Cancri gradum progressus, manè, vesperiique oritur, mergiturque: eaque ab Aequinoctiali ortu longissime in Septentrionem distant. Ac quod polus attollitur altius, eo etiam remouentur magis. Crescunt enim amplitudines cum obliquitate spherae. Hybernum postremo is est, quem Sol tropicum Capricorni attingens, eiique insistens, in Finitore ex orientali, occidentaliisque parte denotat: hic in Austrum, ut prior in Boream, ab ortu, & occasu vero maxime remotus est. Hunc quoque brumalem, quod in bruma fiat; illum verò solsticiale, quod solsticij tempore: tertium vernum, autumnalemque nuncupant. Sed ad inuentionem amplitudinum accedamus. Si ergo amplitudinem ortus Solis, vel etiam stellæ inuestigare cupias, hoc est, quantum Sol, vel stella emergens supra horizontem ab ortu æquinoctiali versus Meridiem, vel Septentrionem distet, ita agito: Filum ex centro Tridentis pendens, per paralleli Solis, (in quo nempe eo die commoratur) stellæque, & horizontis imperfectionem extendito: tunc filum in limbo, amplitudinem ortus, hoc est, partes Horizontis ostendet, quæ inter verum Orientem, & ipsum

Solem, vel stellam interiectæ sunt: simulque in quam mundi plagam discedant, indicabit. Licet hoc ita facile, vt nullo exemplo indigeat: sit tamen ad xx. diem Maij (quo Sol in Geminos ingressus) amplitudo inuestiganda: x x x. gradus eam in Septentrimonem habere inuenies: totidem etiam gradus pro occasus amplitudine numerabis. Nam quot horizontis gradibus Sol, stellæ exoriens in alterutram partem ab Aequatore distiterit: tot etiam ab occasu vero seu æquinoctiali gradibus, versus eandem cœli partem, eodem die, descendens apparebit. Hac ratione stellarum in Horizonte punctis ortus, obitusque deprehensis, facile inde quoque stellæ eadem dignosci inter se: itemque tempus exortus, & occasus Solis inde colligi poterit.

*XXI. De tempore, & hora inuenienda, qua
quauis stellarum sedecim oriatur,
quaue occidat.*

DE ortu Solis, eiusque hora supra satis dictum arbitror. Alia vero ratione hora ortus stellæ cognoscitur: qua nempe supra Finientem in Orientis plaga emergit. Et quamvis hæc ipsa quoque via per facilis & clara omnino cuiuis esse possit, ex ijs, quæ de stellis cognoscendis antè ostendimus: tamen clarius hic suo loco, vel repetitur, vel explicatur. Cognitus itaque, qua hora, siue ea diurna, siue nocturna sit, stella aliqua Horizontem in Oriente adeat, atq; etiam emergat: filum siue Indicem in dorso Tridentis ad horam vi. matutinam, quæ Ortum indicat, reponito: sub idipsum deinde stellam eam, cuius ortum inuestigas, deducito: filum tandem orbe fixo manente, vel per Solis locum: vel, quod idem est, per diem mensis protrahito: idque ipsum in Tridentis extremo orbe horam ortus stellæ significabit. Ut si stellam sextam

sextam, quæ Spicam Virginis denotat, in ortum colloces: mox per diem xii. Maij filum transmittas: reperies hora tertia pomeridiana Spicam supra Finitorem ascendere: licet interdiu, ut cætera astra omnia, conspici ob fulgorem Solis non possit. Similiter experiri potes horas occasus: hoc est, quando sub Finitorem nostrum eadem descendant, atque occultentur. Ut, hora tertia post noctem medium eiusdem diei, eandem Spicā horizontem subire conspicies.

XXII. De Solis, & stellarum à vertice nostro distantia, per altitudines supra Finitem inuenienda.

Altitudinem Solis, vel stellæ, arcum esse verticalis circuli, Finiente nostro, & Solis, vel stellæ centro comprehensum, suprà declaratum est. Quomodo item Solis interdiu altitudo, noctuque stellarum: ac alio quouis momento altitudines earundem deprehendantur: nec non de meridiana Solis, & stellarū maxima altitudine satis dictum esse puto. Nunc, quantum eadem stellæ, vel Sol, à vertice nostro distent: explorare ad hunc modum expeditè potes: neq; id solum meridiano tempore, sed quouis diei momento altitudine tamen Solis, vel stellæ prius inuenta. Vertex igitur, quā do quidem ab Horizonte per quadrantis arcum, id est xc. gradus distat: auferatur statim inuenta Solis altitudo vel stellæ à partibus nonaginta: quod reliquum fuerit, Solis, stellęue distantiam à vertice nostro indicabit. Quæ quidem distantia seu arcus centro solis, stellęue, ac vertici nostro interiectus, in eodem ipso Verticali circulo, in quo altitudo inuenta est, monstratur.

XXIII. *De Solis Declinationibus.*

EX ostensa iam meridiana Solis, & maxima stellarum altitudine, Poli quoque suprà Horizontem altitudinem, quæ regionis Latitudini respondet, eliciemus. Quamuis id quidem huius instrumenti non est proprium ostendere: sed ad organa potius spectat, quorum generatim in orbe terrarum vniuerso usus est: ut tamen studiosus harum artium habitationis suæ, & regionis latitudinem cognoscere, numq; idem Triens ei loco conueniat, examinare possit; breuiter id paulò post declarabo, vbi priùs pauca de Solis, stellarumque declinationibus dixero. Declinatio autem dicitur arcus circuli, per vtrumq; mundi polum, ac Solem, stellamue transmissi, inter Aequatorem, & centrum Solis, vel stellæ, aliudue cœli punctum compræhensus. Cum autem partes Eclipticæ, aliae longius, aliae minus longè ab æquinoctiali orbe recedant: Solis itidem declinationes erunt variæ. Maximam ex his Sol consequitur, cum ab Aequatore in Aquilonem, Austrumue longissime recessit: ac primas Cancri, & Capricorni partes occupat. Quæ quidem Ptolemæi tempore xxiii. grad. lii. min. fuit. Hac verò ætate nostra xxiii. grad. xxviii. scrup. & 24. secund. depræhenditur. Quomodo auten reliquæ Eclipticæ partes ab Aequatore singulæ declinent, ex sequenti tabula expeditè cognoscere licebit.

*Tabula Declinationis partium
Signiferi.*

Grad.	Arietis.	Tauri.	Geminorum.
Signo.	Libræ.	Scorpij.	Sagittarij.
Super.	G. M.	G. M.	G. M.
0	0 0	11 30	20 12 30
1	0 24	11 51	20 24 29

T R I E N S

39

	G. M.	G. M.	G. M.	
2	0 48	12 12	20 36	28
3	1 12	12 32	20 48	27
4	1 36	12 53	21 0	26
5	2 0	13 13	21 11	25
6	2 24	13 33	21 21	24
7	2 48	13 53	21 32	23
8	3 11	14 12	21 41	22
9	3 35	14 32	21 51	21
10	3 58	14 51	22 0	20
11	4 22	15 10	22 9	19
12	4 45	15 28	22 17	18
13	5 9	15 46	22 25	17
14	5 32	16 5	22 32	16
15	5 55	16 22	22 39	15
16	6 18	16 40	22 45	14
17	6 41	16 57	22 51	13
18	7 4	17 14	22 57	12
19	7 27	17 30	23 2	11
20	7 50	17 47	23 7	10
21	8 13	18 3	23 11	9
22	8 35	18 18	23 15	8
23	8 58	18 34	23 18	7
24	9 20	18 49	23 21	6
25	9 42	19 4	23 24	5
26	10 4	19 18	23 25	4
27	10 25	19 32	23 27	3
28	10 42	19 45	23 29	2
29	11 8	19 59	23 29	1
30	11 30	20 12	23 30	0
	Virginis. Piscium.	Leonis. Aquarij.	Cancri. Capric.	Grad. Si. Inf. Vfus

Vsus tabulæ Declinationis hic est. Habes in fronte tabulæ sex signa, ex quibus tria Meridionalia sunt: reliqua Septentrionalia: horum gradus in Ecliptica descendendo in sinistro latere conquerantur. Calci reliqua sex signa adiecta sunt: quorum gradus sursum, ac versus tabulæ caput numerando supputabis. Cogniturus itaque alicuius gradus Eclipticæ declinationem, signum inuestiges in capite, vel calce tabulæ præcedentis: gradum verò in sinistro margine, si signum supra constiterit: aut in dextro latere, si in imo tabulæ annotatum fuerit. Profelis angularis, seu spaciiorum concursus declinationem offert, eius nempe gradus Eclipticæ, cuius ab Aequatore recessum scire optabas. Ut ad xvi. Arietis gradum occurrit declinatio partium v i. scrup. xviii.

Porrò cùm partibus integris etiam scrupula adhærent, eorumq; declinationem expetis: primùm integrarum partium declinationem ex tabula cognitam annotato: deinde sequentis gradus declinationem itidem ex eadem de promiso; ac minore ex maiori sublata, reliquum differentiam appellabis: ex qua mox partem proportionalem, vt vocant, scrupulis conuenientem, hoc modo elicies. Multiplica differentiam cognitam per minuta gradibus adhærentia: productum numerum per lx. diuide; partitionis tum numeris partem congruentem ostendet. Eam mox ad declinationem integrorum graduum addas, si declinatio accrescat: si verò paulatim ea minuatur; eandem partem proportionalem ex declinatione inuenta subtrahas: quod restabit, veram propositi puncti declinationem indicabit. Ut sit datum xvi. grad. xxxvi. scrup. Arietis, per ostensam rationem inuenies declinationem vi. grad. xxxii. scrup.

XXIIII. De XVI. Stellarum Declinationibus.

STellarum etiam Declinationes sunt arcus circulorum per Polos mundi cunctum, atq; inter Aequatorē, ipsasque stellas

stellas intercepti. Præcipuarum autem xvi . stellarum, quibus in hoc Triente nostro vsi sumus, declinationes apponere placuit. Qui verò aliarum etiam, & exactè quidem declinationes cognoscere cupiunt: Regiomontani, & Reinholti tabulas Directionum, vel Parentis nostri tabulas Sinuum consulant: qui rationes eruendi earum declinationes demonstrant. Verùm ne quid hoc loco tibi deesse arbitreris, breuiter modum ostendam, quo stellarum maximè splendidarum declinationes ex ipso cœlo inuestigare possis. Primum plagæ mundi tibi discernendæ sunt, præcipue Meridies. Deinde cum stella aliqua ad Meridianum peruenierit (in quo maximam altitudinem, supra Finitorem assèquitur) altitudinem eius obserua, quæ maxima vocatur, ut suprà dictum est. Postea Aequinoctialis etiam altitudinem supra Finitorem explorat: quæ per cognitam regionis latitudinem, siue Poli sublimitatem facilè cognoscitur; subducta nempe Poli altitudine à $xc.$ partibus, & ipsius Aequinoctialis altitudo Meridiana remanebit. Huius enim supra Horizontem exaltatio, cum Poli sublimitate coniuncta, quadrantem, hoc est, $xc.$ gradus constituit. Itaque si stellæ altitudo maxima per instrumentū obseruata, maior fuerit ipsius Aequinoctialis altitudine erit declinatio eiusdem, citra æquatorum habitantibus, Septentrionalis: sin minor, meridionalis. Auferatur igitur minor à maiore numero, ac declinatio stellæ ab Aequinoctiali relinquetur, de cuius vsu paulò post dicemus. Sed iam exemplo negotium hoc breuiter declaremus. Cupio nosse declinationem duarum stellarum, oculi Tauri, & Lucidae stellæ in Hydra. Vtriusq; igitur in meridiano existentis altitudines diligenter capio: atq; huius summam $xxxvii.$ grad. inuenio: illius verò $lvii.$ grad. $xliv.$ scrup. altitudinem reperio. Deinde, ab hac, $xliv.$ gradibus, hoc est, Aequinoctialis altitudine subducta, relinquuntur $xv.$ grad. $xlii.$ scrup. declinatio Septentrionalis

stellæ, quam oculum Tauri vocant. Hydræ verò altitudine,
quæ est xxxvii. grad. ab Aequinoctialis sublimitate, hoc est
xlii. grad. ablata: restabunt v. grad. qui ostendunt Hydram
ab Aequatore in Austrum totidem partibus declinare.

*Stellarum in Triente annotatarum decli-
nationes, ad tempus nostrum pro-
positum.*

i.	Canis maior	habet declinationem	grad. 15. scrup. 52.	A.
ii.	Canis minor	6	grad. 0	scrup. B
iii.	Lucida Hydræ	5	grad. 0	scrup. A
iv.	Cor Leonis	13	grad. 50	scrup. B
v.	Cauda Leonis	16	grad. 35	scrup. B
vi.	Spica Virginis	8	grad. 50	scrup. A
vii.	Arcturus	22	grad. 0	scrup. B
viii.	Cor Scorpii	24	grad. 56	scrup. A
ix.	Lyra	38	grad. 40	scrup. B
x.	Aquila	7	grad. 34	scrup. B
xi.	Ala Pegasi	12	grad. 45	scrup. B
xii.	Venter Ceti	12	grad. 12	scrup. A
xiii.	Pleiades	22	grad. 52	scrup. B
xiv.	Oculus Tauri	15	grad. 40	scrup. B
xv.	Orionis pes sinister	9	grad. 16	scrup. A
xvi.	Dexter humerus Orionis	6	grad. 20	scrup. B

*XXV. De sublimitate Poli supra Hori-
Zontem, ex Solis meridiana altitu-
dine cognoscenda.*

S' Ole principium Arietis, aut Libræ occupante, cùm nul-
lam eo loco declinationem fortiatur, facile per Aequi-
noctia-

noctialis altitudinem, Poli etiam sublimitas supra Horizontem depræhendi potest. Nam per hæc ipsa Arietis, & Libræ puncta Aequinoctialis describitur: in ijsdemque duo contingunt Aequinoctia: quorum vnum in principio Arietis verno, alterum in Libra tempore autumnali accidit. Cognita autem Solis meridiana altitudine, dum in illis partibus existit, habebis Aequinoctialis quoque maximam supra Horizontem nostrum altitudinem. Hac deinde altitudine à xc. grad. subducta, relinquuntur altitudinis Poli seu latitudinis loci tui partes. Est enim Poli supra Finitorem exaltatio, Latitudini regionis perpetuò æqualis, ut dictum est. Sin autem in ipso vel Solstitio, vel Bruma idem inuestigare cupias. Primum Solis, dum is Cancri Capricorniūe principium obtinet, altitudinem in meridie obseruabis: mox loci eiusdem inquires declinationem: quæ quidem vtrique æqualis, & omnium partium Eclipticæ maxima est. Digeritur enim Sol in illis ipsis punctis ab Aequinoctiali quam longissimè: quod eadem puncta vel maximè ab Aequatore in vtramque partem remota sint. In Austrum quidem cum primam Capricorni partem lustrat: in Aquilonem verò, cum Cancri occupat fastigium. Hæc autem Solis declinatio maxima, est, ut ex obseruationibus nostro tempore constat, xxiiii. grad. xxviii. scrup. Hanc itaque declinationem à meridiana Solis altitudine subduces in Solstitio: atque Aequatoris suprà Finitorem restabit altitudo: in Bruma verò eadem Solis declinationem ad altitudinem in meridie acceptam adjicies: ut inde Aequatoris quoque colligatur in meridiano ab Horizonte distantia. Qua quidem inuenta, absque vlla difficultate latitudinem loci, & sublimitatem Poli, aliaq; cognosces. Eodem planè modo, interdiu Sole, in quacunque Signiferi parte versante, Poli altitudinem supra Horizontem nostrum venabimur. Hoc tamen diligenter animaduertendum, ut, cùm declinatio

Australis fuerit, eam ad altitudinem obseruatam adiicias: si verò Borealis, eandem declinationem ex meridiana Solis altitudine deducas. Quod quidem negotium licet aper-
tum, vnico tamen exemplo ostendemus. Fugiat me, quan-
tam vrbis hæc latitudinem habeat, quantumque in ea Polus
supra Finitorem attollatur: idque certo die cognoscere cu-
pio: verbi gratia, x x. die Ianuarij, quo Sol in meridie x x.
grad. & xl. ferè scrup. Aquarij occupat. Hic verò Solis lo-
cus, Signiferique pars ab Aequatore declinat in Austrum,
vt ex tabula superiore constat, grad. x iv. scrup. l ii. mox So-
lis altitudinem eo die maximam, ipso nempe in meridiano
constituto, accuratè obseruo, eamque partium xxvi. scrup.
xxix. depræhendo. Ad hanc igitur altitudinem meridia-
nam inuentam, Solis declinationem, quod Australis sit,
adiungo: ac ita Aequatoris supra Horizontem exaltatio pro-
dibit, graduum x li. scrup. xxi. Qua deinde à x c. grad. sub-
lata, relinquetur ipsius Poli Arctici supra Horizontem sub-
limitas: quæ est partium xl viii. & xl. scrup. ferè. Tanta est
etiam Verticis, seu loci ab Aequinoctiali terrestri distantia,
quam Latitudinem nuncupare solent: quantam Ingolstadij
esse, vbi hæc scripsimus, exploratum habemus.

*XXVI: De eadem loci Latitudine, quæ subli-
mitati Polari respondet, noctu ex stellarum
maxima altitudine, colligenda.*

Primùm stellam aliquam inerrantem seu fixam tibi pro-
pone: cuius declinatio ab Aequinoctiali antè tibi nota
& perspecta sit, aut quam ex tabella didicisti. Achuius mox
altitudinem summam (quam in meridiano circulo stella
consistens habebit) diligenter obserua. Deinde declinatio-
nem stellæ, si Borealis fuerit, ab inuenta altitudine subtrahe:
si verò

Si verò Australis, adjice eandem declinationem altitudini: postea arcum, qui inde colligitur, ex quadrante aufer: tunc loci tui latitudinem, seu Poli sublimitatem depræhendes. Quod cùm ex prius demonstratis clarum sit, pluribus verbis supersedebo. Exemplo tamen nobis sint, stellæ duæ splendidae, quarum altera in ore Canis maioris conspicitur: altera inter Bootis crura, Arcturi nomen habet: huius altitudo summa sit partium LXIII. scrup. xx. illius verò XXV.gr. XXXIIII. scrup. Cum autem Arcturus in Boream declinet, eius declinatio, quæ XXII. partium est, tota ab altitudine cognita, subducenda est: relinquuntur itaq; gradus XLI.scrup. xx. Aquatoris nimirum supra Horizontem exaltatio. Quā similiter ex Canis altitudine, cum eiusdem declinatione Australi (quæ est 15. grad. 47. scrup.) coniuncta, cognoscet. Qua demum sublata ex toto quadrante, hoc est, ex xc. partibus, tum Poli sublimitas, seu loci latitudo demonstratur.

XXVII. De loci Latitudine, seu Poli altitudine alia ratione innienda.

HYberno tempore in vna, eâdemque nocte, Poli sublimitatem ex stellis ita Polo vicinis, vt nunquam occidant, facilimè inuestigare licet. Nec refert, etiam si proposita stella nobis cognita non sit: modò ita oculis notari possit, vt eius minima, & maxima altitudo, duabus obseruationibus diuersis, depræhendatur. Duabus his posteà coniunctis, eius summæ dimidium Poli exaltationē supra Horizontem indicabit. Vt: circa Brumam vesperi, obseruo stellæ aliquius supra Horizontem ad Aquilonem sitæ, altitudinem minimam: hoc est, proximum eius accessum ad Finitorem:

eumque esse $\text{X} \text{III} \text{I}$. grad. XXX . scrup. inuenio. Deinde ea-
dem nocte post horas duodecim, elapsas, cum stella ad ver-
ticem proximè peruererit, eiusdem altitudinem maximam
similiter capio: quæ sit LXXXII . grad. I . scrup. mox ambabus
his coniunctis, earum dimidium exaltationem Poli esse eo
in loco XLVIII . graduum X I . scrup. commonstrabit.

Sed de Poli altitudine cognoscenda, satis hoc

loco diximus: alibi copiosius de
ea obseruanda tra-
etatur.



T E R


TERTII, ET QVARTI TRI-
ENTIS ANTERIOR PARS:

HORAS PLANE.

TARVM, AC IVDAEO-

RVM CONTI-

NENS.



XXVIII. De horis Planetarum interdiu cognoscendis.

HAec tenus primi, & secundi, Tridentis nostri utilitates annotauimus: ac quomodo per eundem horæ nostræ per uulgatae, æquales atque Aequinoctiales dictæ, tam diurno, quam nocturno tempore inueniri atque cognosci debeat, diligenter explicauimus. Sequuntur nunc tertius, & quartus: quibus horæ Inæquales, à veteribus temporales nuncupatae, inquirere licebit. Has autem nos in duo diuersa horarum genera (vnum enim idemque non esse, alio loco à nobis ostensum est) distinguimus. Horæ enim Temporariæ, vel eiusdem diei duodecimæ partes inter se æquales sunt: vel inæquales. Has Planetarum horas: illas Iudæorum appellare placuit: vt rationem nominis paulò post intelliges. Vtrumque certè genus Antiquitati notum atque visitatum fuit; hoc verò tempore alterum, quod Planetarum dicitur, paucis satis perspectum & cognitum esse videtur. Plerique enim Planetarias horas cum Iudaicis confundunt: ac Iudaicis horis pro vtrisque vtuntur: quod veras Planetarum horas à veteribus Astrologis usurpatas fortassis ignorent, aut saltem aspernentur. Etsi autem vtrumque horarum genus nunc à vulgari consuetudine, & vsu alienum sit: vtrunque tamen diligenter cognoscendum, vt non solum ijsdem nobis interdum vti liceat: sed vel maximè, vt Antiquitatis monumenta, ipsorumque Astrologorum scripta, in quibus harum mentio fit, rectè intelli possint. Sed de his Planetarum horis suprà primo libro, & in Planisphærio, & alibi satis dictum: nunc quid sint, & quomodo per Tridentem inuestigentur, breuiter declarabimus: postea de Iudeorum etiam horis dicturi. Planetarum igitur horæ, sunt duo-decimæ vel diei, vel noctis eiusdem partes inæquales: quæ ab ortu

ab ortu Solis ad eiusdem obitum, & hinc ad exortum denuo numerantur. Planetarum quidem horæ dictæ sunt, quod vetustissimi Astrologi, singulis horis certum aliquem ex Planetis assignarint, qui regioni elementari præcesset, quem admodum hoc ex Hermete, alijsq; apertum est. Inæquales autem rectè nominantur: non quòd diurnæ nocturnis, vel æstiuæ hybernis inæquales sint, vt de Iudæorum horis accedit: sed quòd eiusdem diei (exceptis Aequinoctialibus) horæ reuera in obliqua Sphæra inter se (vt dictum est) inæquales existant.

Certa enim ratione ab ortu Solis paulatim in meridiem Sole Borea signa perlustrante, augentur horæ: vel Sole opposita Zodiaci signa occupante, minuuntur. Contrà verò accedit in horis post meridiem numeratis. Crescentibus enim matutinis, pomeridianæ decrescunt: & vbi hæ augentur, illæ decurtantur: idque certa proportione, vt dictum est, fieri solet. Vt nempe horæ æqualiter à meridie distantes, longitudine inter se sint æquales. Ita primi diei hora, vltimæ, quæ xii. est, atque occidente Sole finitur, magnitudine æqualis est: secunda vndecimæ: tertia decimæ: ac reliquæ similiter antemeridianæ, pomeridianis singulis respondent. Sed de his alibi plura. Quomodo autem Planetaryæ horæ per Trientem inquirendæ atque cognoscendæ sint, paucis declarandum est. Principio Solis fulgentis altitudinem, vt supra in 3. propo. ostensum est, radijs eiusdem per foramina exceptis, obserues: deinde vunionem ad ipsam altitudinem in scala transferas: eundem mox ita fixum manentem, ad Solis parallelum antea cognitum, deducas: ibi tum vnio horam planetarium demonstrabit. Horæ autem istæ in Triente duplicatis lineis seu arcibus descriptæ, itemque characteres numerorum horas designantium, geminatis lincolis in maiori Triente depicti sunt: vt supra in explicazione circulorum, & partium Trientis, annotatum est.

Exemplo vno rem explanabo. Sole xx. Aquarij gradum occupante, atque eodem supra Finitorem ad xv. ferè partes exaltato, horam secundam completam (vnione ad Solis parallelum traslato) inuenies, si quidem ante meridiem horas inuestigaris: sin verò vespertino id feceris tempore, planetariam horam x. effluxisse, ac xi. instare cognosces: eadem altitudine, paralleloque Solis seruatis. In eadem quoque Tridentis facie, communes simul horas, vel Iudæorum etiam discernes: quas tandem cum illis conferre, atque has in illas, & contrà commutare poteris: quod quidem admonuisse sufficiat.

XXIX. De Planeta inueniendo, qui ad propositam horam gubernet regionem elementarem.

VEtustissimi Astrologi multum Planetarum horis tribuerunt, diligenterque obseruarunt: recentiorum verò nonnulli, quòd parum fortasse cognitas habent, ut dictum est, minus etiam ijsdem attribuunt. Veteres quidem Astrologi singulis inæqualibus seu Planetarijs horis certum aliquem Planetarum, tanquam dominum ac præsidem, ascriperunt, qui quasi ea hora validius suas vires in orbem elementarem exerat, ipsaque corpora ex elementis compatta moderetur ac gubernet. Sed his quilibet pro suo iudicio & arbitrio, quantum volet, attribuere poterit. Horæ autem inuentæ dominus hoc modo inquiritur. Veteres primæ cuiusque diei horæ, quæ à Solis ortu initium sumit, eum assignarunt dominum, à quo dies ille denominatus esset. Singuli enim hebdomadæ dies à Planetis singulis sua nomina imposta habent. Secundæ deinde horæ inæquali, sequentem ordine Planetam: tertiae similiter proximum: & sic

sic deinceps singulis horis singulos ordine Planetas ascriperunt. Vt: primæ horæ diei solis seu dominicæ, quòd à Sole nomen dies acceperit, Sol tribuitur. Secundam Venus regit, quæ proximè Solem consequitur: tertia Mercurium sibi vendicat: quarta Lunæ dicitur: quinta Saturno ascribitur: sicque reliquis singulis horis, Planetæ singuli ordine numerandi sunt. Ita animaduertes in vigesimam quintam horam, quæ sequentis diei prima est, eum Planetam incurrere, à quo ille ipse dies denominatus est. Ex quibus facilè intelligitur iam, cur in dierum appellationibus Planetarum ordo interruptus fit.

Sed expeditè planetam regnantem ex tabula depræhendes hoc modo. Quere in supra tabulæ parte, horam inuentam planetariam: in sinistra verò parte diem hebdomadis: atque illicò in proselide seu angulo communi, Planetam ea hora dominantem cognosces: vt die Iouis ad sextam horam Planetariam inuenies Lunam imperium tenere in Elementari regione secundum veteres.

Tabula regiminis Planetarum diurni.

Horæ Pla.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	II	12
Dies Do.	○	♀	♀	♂	☿	☿	♂	○	♀	♀	♂	☿
Lunæ	♂	☿	♀	♂	○	♀	♀	♂	☿	♀	♂	○
Martis	♂	○	♀	♀	♂	☿	♀	♂	○	♀	♀	♂
Mercurij	♀	♂	☿	♀	♂	○	♀	♀	♂	☿	♀	♂
Iouis	♀	♂	○	♀	♀	♂	☿	♀	♂	○	♀	♀
Veneris	♀	♀	♂	☿	♀	♂	○	♀	♀	♂	☿	♀
Sabati	☿	♀	♂	○	♀	♀	♂	☿	♀	♂	○	♀

*XXX. De horis Iudeorum ex eodem
Triente inuestigandis.*

Sequitur tertium horarum genus Iudeorum à nobis appellatum. Vocamus autem horas Iudeorum duodecimas diurnæ lucis partes inter se æquales. Veteres enim omnes, inter quos præcipue Iudaica antiquitas, spacio temporis ab ortu Solis ad eiusdē occasum, hoc est, dies anni singulos, tam æstiuos quam hybernos, in XII. æqualia spacia distinxerunt, & eorum quoduis horam nominarunt. Et certè credibile est, hanc temporis distinctionem primū à sanctis patribus diuinitus institutam, ac postea tacito omnium gentium consensu approbatam, ac receptam fuisse: eamque horarum rationem, longo postea durasse tempore, atq; ultra Caroli Magni ætatem vulgo vsu fuisse, ex Albategnio, alijsq; constat. Quoniam autem omnia etiam sacræ scripturæ dicta, de his ipsis horis intelligenda sunt, non inconuenienter eas Iudeorū horas, ad differentiam priorum, appellari posse existimo. Temporariæ quoq; à nonnullis vocantur: cum. n. dies ipsis integri pro tempore varient, ipsas etiā horas mutari necesse est: eandemq; ob causam Inæquales etiā nominatae sunt: non quod eiusdem diei impares horæ fiant, vt de planetarijs dictum est: sed quod diurnæ horæ nocturnis (exceptis æquinoctiorum diebus) vel diuersorum & inæqualium dierum anni collatae, magnitudine inter se nunquam conueniant. Inde etiam factum arbitror, quod à quibusdam pro Planetarijs in usum, ex verarum vel ignoratione, vel neglectu adhibitæ, receptæque sint. Sed de his si plura cognoscere cupis, lege Patris mei libellum, de Instrumento, quod Folium populi nuncupauit: item primum librum de Planispherijs.

Cæterū


Cæterum horam Iudaicam ex hoc Triente inuestigaturus, cum eadem omnino, via ac methodo, quam in Planetarym quærendis ostendi id consequi possit: pluribus hic supersedeo. Coniunximus autem in hac parte planetarum horas cum Iudaicis: & has lineis punctum, atque intercism factis designauimus: quò facilius hæ ab illis cognosci, & inter utrumque horarum genus discriminē rectius intelligi & obseruari possit. In Aequinoctiorum quidem diebus omnia horarum genera in vniuerso terrarum orbe conueniunt. Sed de his satis.



G 3 F A C I -

A P I A N I
FACIES QVINTI TRIENTIS:

HORAS AB OR-
TV ET OCCASY SO-
LIS NUMERATAS,
CONTINENS.



*XXXI. De horis abortu, & occasu Solis
elapsis dignoscendis.*

Redeundum iam est, ad æquales & Aequinoctiales horas. Harum autem numeratio ut supra quoque monuimus, vel à Meridiano, vel Horizonte, duobus nempe circulis primarijs fixis, inchoari solet. Per hos enim duos, Meridianum dico, & Horizontem, coelum in quatuor partes, & cardines distinguitur: per quos Sol transiens, diem quoq; naturalem ex luce, & nocte constitutum, in quatuor etiam partes distinguit. Inde dierum, & horarum alia atque alia initia apud varias gentes extiterunt. Astronomi quidem, vt haec tenus aliquoties dictum est, horas suas Aequinoctiales, seu nostras vulgares à Meridie, dum Sol nempe ipsum loci Meridianum occupat, auspicantur, earumque $\text{xxiiii}.$ ad meridiem usque sequentis diei numerant. Romani verò olim, à media nocte usque ad alteram sequentem mediam $\text{xxiiii}.$ horas numerabant. Nostro autem tempore per maximam orbis terrarum partem, à Meridie horarum numeratio inchoatur, & ad medium usque noctis $\text{xii}.$ ac inde quoque totidem usque ad meridiem sequentis diei numerantur, vt in vulgus notum est. Alij verò populi ab Horizonte circulo horarum numerationem incœperunt, hoc est, aut ab exortu Solis supra Finitorem, aut ab eiusdem occasu. Babylonij quidem ab ortu, easque ad idem sequentis diei initium usque $\text{xxiiii}.$ continua serie producunt. Contra verò Athenis olim, quod & hodie in plerisque Italiae locis, in Bohemia & Silesia fieri solet, horæ $\text{xxiiii}.$ ab Occasu Solis per noctem, & diem sequentem ad alterum usque Solis obitum numerantur.

Norinbergenses autem, & Ratisponenses, et si diei horas ab ortu etiam Solis auspicentur: eas tamen ad Solis usque occasum

occasum tantum continuant: noctis verò ab occasu in sequentem exortum Solis numerant. Ita diurnæ, longitudinem diei: nocturnæ, noctis magnitudinem declarant. Sed ad horarum in Triente descriptionem accedamus. Diligenter igitur in hac Tridentis parte horarum numeros, distinctionemque obseruabis, ne ipsas horas ab Ortu cum alijs ab Occasu numeratis, inter se confundas. Horæ quidē ab Ortu Solis inchoatæ, his notis 1. II. III. IIII. &c. consignatæ sunt: sed quibus horarum arcubus singulæ nota conueniant, planum faciendum est. Bini numeri singulis arcubus adiecti sunt: quorum alter horam ab Ortu: alter ab Occasu numeratam, designat. Priores igitur octo numeri, ab 1. ad VIII. iuxta tropicum Cancri sursum annotati, horas ab ortu ad meridiem usq; numeratas, per arcus Horizōti ferè æquabiles, declarant: reliqui verò ad eundem tropicum retrò descendentes numeri, ut IX. X. XI. &c. horas quidem ab Ortu etiam indicant: sed per arcus punctim à tropico in Horizon tem usque depictos. Horæ autem ab Occasu Solis, huiusmodi characteribus 9. 10. 11. 12. &c. ut facilius à prioribus discerni possint, distinguuntur. Sed quomodo horæ tum ab exortu, tum obitu Solis elapsæ explorentur, paucis accipe. Principio Solis altitudo supra Finitorem obseruetur, capiaturque perpendiculo seu filo. Deinde vno ad ipsam altitudinis partem in scala collocetur: is mox ita fixus ad Solis parallelum translatus, statim horas, ab ortu, obituque Solis elapsas simul indicabit. Rem exemplo monstremus. Ad xxx. Ianuarij diem, circiter x. horam matutinam vulgarem, (quaे quidem hora, ut nota sit, non est necesse) cupio scire, quota hora sit à Solis exortu: atq; etiam quot ab eiusdem Occasu præcedentis diei effluxerint. Statim itaque altitudinem, fulgente Sole, noto: quam vbi xxiiii. graduum esse didici: vunionem ad hanc in scala compono, eumq; sic firmum ad solis parallelum, qui vigesimus Aquarij est, deduco.

deduco. Idem tum $\text{III}.$ horam ab ortu, hoc est, Solem iam tribus horis supra Finitorem luxisse, ostendit. Et quia vno simul alium arcum punctum factum contingit, eius numerus adiectus horas $\text{XVII}.$ à Solis occasu antecedentis diei preteriisse patefacit.

Aliud exemplum. Si pomeridiano tempore, Sole circiter $\text{III}.$ Tauri gradum versante, altitudo eius $\text{XL}.$ ferè graduum inuenta sit: vno ad eandem deductus, atque ad parallelum Solis applicatus, horam tibi $\text{x}.$ ab ortu, in punctum facto arcu, & in transuerso arcu $\text{zo}.$ ab occasu elapsam demonstrabit. Sin verò eadem Solis sublimitas antemeridiano tempore obseruata sit: tum vno non easdem, sed oppositas horas $\text{III}.$ nempe ab ortu, & $\text{14}.$ ab occasu patefaciet. Diligentem itaque temporis antemeridiani rationem habere oportet.

XXXII. De longitudine diei, & noctis, per easdem horas inuenienda.

Primum per parallelī Solis (temporis scilicet propositi) & Horizontis concursum filum extende: ac quæ horaria linea proxima punctum facta occurret, obserua. Ea enim per characteres horarum ab Occasu, $9.$ $10.$ $11.$ $12.$ &c. noctis longitudinem indicabit. Sin verò in codem horario arcu punctum factum, sursum aspectum ad Cancri vsque tropicum diragas: tum ibi diei etiam longitudinem istis numerorum notis $\text{VIII}.$ $\text{IX}.$ $\text{x}.$ $\text{xI}.$ expressam inuenies. Vt: Sole $\text{xx}.$ Aquarij grad. occupante, in huius parallelī finem animaduertis arcum punctum factum incidere, qui ad Horizontem $\text{14}.$ adiecta habet: in suprema verò eius parte $\text{x}.$ Ostendit igitur is arcus tum noctem esse $\text{14}.$ horarum, diem verò $\text{x}.$ tantum. Vel cognita dici longitudine, eaq; ex, $\text{XXIII}.$ dempta, relinquitur noctis quantitas: & contra: vt supra quoque ostensum est.

*XXXIII. De horis, quæ à certo diei mo-
mento ad Occasum Solis restant, in-
ueniendis.*

INvestigaturus certo die, dieique momento, quo horæ ad Solis occasum, ipsamq; noctem restent: vnionem ad inuentam altitudinem, & ad ipsum parallelum applica. Deinde cōsidera tempus propositum, sitne antemeridianum, an verò pomeridianum. Si enim antemeridianum fuerit: tum horas ab ortu post meridiem consulendas esse memineris: vt sunt ix. xi. xii. & tibi reliquum diei spaciū ad Solis usque obitum patefacient. Si verò post meridiem id ipsum diei spaciū inquiras: tum contra, horæ ab ortu antemeridiani temporis idipsum, quod cupis, declarabunt.

Ad xxx. Ianuarij diem, (vt in eodem exemplo maneam) circiter decimam horam communem matutinam scire cupio, quo horæ, quantumque spaciū diurnæ lucis usque ad Solis obitum reliquum sit. Vnione itaque ad acceptam altitudinem Solis, & parallelum composito, animaduerto eo momento iiii. horas ab ortu: ab occasu verò 17. clapsas esse: vt supra dictum est. Sed reliquæ ad occasum, quarum v ii. supersunt, declarantur per horas pomeridianas ab ortu numeratas vii. infra tropicum Capricorni, ad decimæ septimæ horæ arcum punctim factum, annotatas. Longitudo enim eius diei x est horarum. Similiter eodem die ab hora secunda post meridiem, restant ad occasum Solis tres horæ, quas quidem numerus horæ tertiae matutini temporis ad tropicum Cancri patefacit. Sed hæc cuiuis ferè aperta esse possunt.


ANTE.

TRIENS.
ANTERIOR PARS TRIEN-
TIS SEXTI:

59

CIRCVLOS

MERIDIANO PA-
RALLELOS EX-
HIBENS.



*XXXIIII. De Solis distantia, à puncto
veri seu Äquinoctialis ortus, & occa-
sus, quo quis tempore inuenienda.*

In hac anteriori, vltimi Tridentis, parte, alij quoque parallelorum seu æquilibrium circulorum arcus descripti sunt: qui cum à Meridiano vndiq; æquabiliter diftent, non inceptè paralleli ipsius Meridiani nominari possunt. Sunt enim ij omnes, ex veri seu Aequinoctialis ortus puncto, tanquam Meridiani polo, æquabiliter descripti. Itaque hoc punctum rectè etiam Zenith ortus nuncupari solet, vt in primo libro de constructione organi diximus. Eosdē etiam circulos Amplitudinum orbes dicere licebit: quòd nempe ostendant, quantum Sol supra Finitorem exoriens, à veri ortus puncto remotus sit.

Sed de hac vtilitate supra, vbi de Amplitudine Solis inuenienda tractauimus, satis dictum arbitror. Nunc verò quomodo Solis, quo cunque cœli loco existentis, à Zenith ortus, vel occasus remotio, eiusdem ad Meridianum approximatio, cognoscenda sit, breuiter ostendemus. Primum igitur altitudo Solis supra Finitorem obseruanda atque notanda est. Deinde filum, cui vnio adhærens Indicis munere fungitur, ad scalam Altitudinum transferendum: vnio verò ipse, ad altitudinem inuentam promouendus. Mox idem, tanquam index sic immotus, ad Solis parallelum deductus, statim inter arcus, Meridiano æquabiles, certum aliquem horū simul cōtinget, monstrabitq;: qui tandem Solis tum ab ortus puncto, tum à meridiano ipso distantiam, in Horizontis partibus, numerisque declarabit. Verbigratia: Ante meridiem cognitus Solis ab ortu Aequinoctiali, ipsoq; simul meridiano interuallū, eo ipso principium Cancri occupante: ad tempū propositum vniōnem compone iuxta inuentam

uentam Solis altitudinem, quæ sit $\text{XLV}.$ graduum. Deinde eundem vniōnē sic immotū, Tropico Cancri impone, tum inter equabiles Meridiani arcus, quem Sol obtinet, $\text{XLVIII}.$ ferè gradibus à Zenith ortus, in meridiem remotum demonstrabit. Quod quidem numeri, in limbo ad parallelorum cum Horizonte concursum annotati, patefaciunt. Vbi verò hanc Solis distantiam $\text{XLVIII}.$ graduum à $\text{xc}.$ toto scilicet quadrante, subtraxeris: relinquetur Solis ab ipso Meridiano interuallum: quod quidem in limbo etiam, partibus Horizontis ab arcu inuento ad meridianum usque numeratis, partium $\text{XLII}.$ depræhendes. Memineris pomeridiano tempore hanc eandem Solis remotionem ab eodem puncto, quod Zenith occasus etiam dicitur, similiter numerandam esse.

XXXV. De hora vulgari, per Solis distantiam à Zenith ortus vel occasus inuestiganda.

HAEc anterior Trientis pars, duplīcem continent Significiūrum: vnum quidem haētenus usurpatum, pinnaciūdīsque adiectum, ex quo parallelī Solis omnes promanant, quiq; Reuolutionum Zodiacus dicitur: alterum verò proprie scalam Altitudinum ad vulgares horas inquirendas descriptum: qui inde Horarij Zodiaci nomen accepit. Hoc vtēm in horarum, vt dixi, obseruatione, ad hunc modum. Prīmū per obseruatam Solis altitudinem supra Finitorem, vniōnemq; ad eam firmatum, distantia Solis à Zenith ortus, vt iam dictum est, præcedenti propositione, inuestigetur, arcusq; ille Meridiano æquabilis eandem patefaciens distantiam, diligenter notetur. Deinde vnio, filo prius per horarium & contractiorem illum Zodiacum deducto, ad

locum Solis reponatur: qui tandem fixus atque immotus ad antē inuentum Meridiani parallelum: hoc est, ad distantiam à Zenith ortus, obitusū translatuſ filum in limbo horam, eiusque partem exacte demonstrabit. Hæ autem numerorum notæ 4. 5. 6. &c. horas matutinas: istæ verò i. ii. iii. &c. vespertinas significant. Rem exemplo breuiter ostendo. Sole in prima Tauri parte commorante, certo matutini temporis momento, depræhendo Solis altitudinem esse supra Finitorem xxviii. partium cum xv. scrup. ad eam igitur vniōnem compono: eoque mox ad parallelum Solis, per principium Tauri ductum, translato, tum idem distantiam Solis à Zenith ortus esse xxxiiii. graduum indicat. Postea vniōnem ad principium Tauri in horario Zodiaco deduco: ac eum fixum adiungo æquabili circulo antē inuento xxxiiii. grad. ab Ortus puncto remoto: statimque filum horam in limbo octauam matutinam ostendet, tempus videlicet, quod nosse cupiebam.

Cæterūm hoc ipsum negocium facilius, expeditiusque absolues, si centro Tridentis duo fila innexeris, quorū utrumque habeat vniōnem adhærentem. In altero quidem filo, vniō ad Solis altitudinem acceptam: in altero verò ad Solis locum in Zodiaco horario deducendus est. Deinde prior vniō ad Solis parallelum translatuſ, monstrat æquabilem Meridiani, in quo sol consistit: qui quidem diligenter notandus. Tum alter vniō per aream, donec in eundem æquabilem incidat, circumductuſ, filum in limbo horam quæfam declarabit.

*XXXVI. De Solis ab ortus veri, velocitas
casus puncto distantia, absque eiusdem radijs, cognoscenda.*

CVpimus interdum ad tempus propositum Solis ab ortu, vel occasu remotionem, absque eiusdem radijs cognoscere.


gnoscere. Vnionem itaque ad locum Solis in Zodiaco horario collocamus: deinde filum, vnone interim fixo manente, ad tempus, & horam in limbo reponimus: statimque vnio ipsum equabilem, quem Sol id temporis occupat, mō strabit. Qui quantum ab ortus, vel occasus puncto absit, numeri ad Finitorem annotati, planum faciunt: hac verò distantia cognita, atque à x c. partibus subducta, Solis à Meridiano quoque interuallum prodibit. Res ita est perspicua, ut exemplo non egere videatur. Sed quoniam hic Triens plures habet vtilitates cum primo superiori communes: vt de altitudine Solis obseruanda: de eiusdem Verticali circulo: de amplitudine ortiu: deque alijs pluribus: verborum multitudine supersedendum arbitror. Quius enim parùm etiam in his, quæ huc usque annotata sunt, exercitatus, perfacile expositas primi Instrumen-
ti commoditates huic Trienti ac-
commodabit.



V T I L I -

APIANI
V T I L I T A T E S P O S T I C A E
P A R T I S T R I E N T V M :

DORSVM PRIMI
TRIENTIS AZIMUTH
CONTINENS.



*XXXVII. De hora, interdiu per Azimuth
Solis, cognoscenda.*

DE vtilitate posticæ illius partis, quæ Tympanum seu Rotulam adiunctā habet, hactenus passim est dictum: nunc etiam reliquarum posteriorum partium commoditates explicabimus: & primūm quidem illius Tridentis, qui primus appellatus est, agemus. Quomodo igitur, huius beneficio, hora interdiu, Sole splendente, inueniri possit, breuiter ostendemus. Ante horæ autem inuestigationem ex superioribus hæc nota sint: Solis nempe locus in Signifero: & Verticalis circulus, seu Azimuth, in quo Sole eo temporis momento consistit. His cognitis, filum seu perpendicularum ex centro propendens ad Meridianam, & Signiferum in ea descriptum, deponatur: vnio mox ad signum, signique partem eam deducatur, quam eo ipso die Sol occupat. Sunt autem eæ partes alternatim nigris, & albis spaciolis distinetæ, eorumque singula denos gradus complectuntur. Deinde filum, vniione sic immoto, per verticales circumducitur, donec idem vnio verticalem antè inuentum & notum contingat: quod vbi acciderit, filum ipsam horam, quæ tum queritur, eiusque partes in limbo demonstrabit. Verbi causa: Si xxx. Ianuarij, quo die Sol xx. Aquarij gradū perlustrat, horam diei per Solis Azimuth, seu circulum Verticalem (Verticalis autem iam inuentus sit quadragesimus quintus, per propos. vi. ab ortu in Austrum distans) inuestigare velis: primūm filo ad Signiferum posito, ipso verò vniione ad Solis gradum, xx. Aquarij ducto, eoque sic fixo, filum circumuertere, donec vnio in xlv. Verticalem ab ortu in meridiem, hoc est, à signo Lilij dextram versus numeratum, incidat: tunc filum in extremo dorsi limbo, horam nonam, si tempus sit antemeridianum: vel tertiam, si pomeridianum, commonstrabit.

XXXVIII. De Azimuth, seu circulo verticali, quem Sol occupat, quoniam tempore inueniendo.

Vemadmodum Verticalis orbis, seu Azimuth Solis, eodem lucente, exploretur inuestigeturque, supra in propos. vi. explicatum est: nunc quomodo idem huius dorsi beneficio, ad certum tempus datum, cognoscendus sit, breuiter aperiam. Posito igitur filo ad Meridianam lineam, & vnione ad Solis in Signifero locum ducto: mox filum, vnione sic manente, ad horam ipsam, eiusq; partem in limbo repositum, statim vnio ipse inter arcus descriptos, Verticalem, quem id temporis Sol obtinet, indicabit. Res quidem non obscura, exemplo tamen, quo manifestior fiat, declaranda. Ad xxii. diem Aprilis, & dimidiam ferè horam post v. matutinam, cupio nosse in quo Verticali orbe Sol versetur. Unionem igitur ad locum Solis eiusdem diei, qui est x. Tauri gradus ferè, in Signifero deduco: ac statim filum cum vnione ad tempus datum transfero: tum per eundem xv. Verticalis, à vero Aquinoctialis ortu, hoc est, Lilij signo in Aquilonem discedens, monstrabitur. Eum itaque Verticalem, seu Azimuth hoc momento Solem obtainere affirmo. Ita quoque vi. hora pomeridiana cum semisse, Sol eundem Verticalem, totidem graduum interuallo ab occasu in Septentrionem recendentem occupabit. Nec dissimiliter eosdem Verticales, iisdemque horis repetet Sol, iiiii. die Augusti, quum xx. partem Leonis perlustrat. In his autem Verticalibus, cùm Solis, tum stellarum sublimitates supra Horizontem obseruantur, numeranturque, vt supra declaratur, tum est.

Debora

*XXXIX. De hora ortus, & obitus Solis
itemq; de longitudine diei, & noctis
inquirendis.*

Hora, qua Sol singulis diebus exoriatur occidatue, ex posteriori hac parte ad hunc modum cognoscitur. Margarita seu vnio ad signi partem, quam Sol in Signifero eo ipso die tenet, promoueatur. Inde filum cum eadem firma versus Horizontis ambitum, ad quem verticalium numeri adiecti sunt, ducatur: donec eundem ea pertingat. Mox filum in extremo limbo, horam, horaeque partem, qua exoriatur Sol, in matutinis: obitus vero, in pomeridianis horis ostendet. Hinc si horas in limbo ad meridianam usque numeres, semidiurnum spacium colliges: eoque ex xii. dempto, restabit seminocturnum tempus: hoc quidem duplicato, noctis: illo vero, diei longitudo patefiet. Sed de his satis etiam supra. Nouisse cupis ix. Februarij huius anni, qua hora manè Sol supra Finitorem exoriturus sit. Primum igitur ad diem propositum Solis locum in Signifero inquire, cui principium Piscium respondere inuenies. Margarita igitur ad Piscium initium deducta: postea eadem in Horizontem, ut dixi, translata: filum demonstrat Solem eo die paulo ante septimam supra Finitorem exoritum: & similiter paulo post v. pomeridianam Horizontem subiturum. Hinc diei longitudo colligitur x. horarum: noctis vero xiiii. horarum: minutis partibus, ut in minori hoc instrumento, neglectis.

XL. De punctis in Horizonte notandis, in quibus Sol oritur, & occidit: item de eiusdem amplitudine cognoscenda.


DE Amplitudine cum Solis, tum stellarum inuenienda, supra in anterioris partis utilitatibus, abunde diximus:

nunc eandem per dorsum hoc querere breuiter ostendemus. Puncta igitur ortus, obitusque Solis in Horizonte ut cognoscas, vniōnem in filo ad signum, eiusq; gradum in Signifero repone: deinde eundem ipsum ita firmum ad Horizontem colloca: qui tum in partibus Horizontis, locum ortus, & occasus Solis, ipsamque etiam altitudinem patefaciet. Ut, Sol, dum principium Piscium obtinet, videtur exoriri in xvi. Verticali circulo à vero ortu in meridiem declinante. Erit itaq; eius amplitudo, hoc est, arcus Horizontis inter Solis centrum exorientis, & verum, seu Aequatoris ortum totidem partium nempe sedecim. Ita dum idem primam Geminorum partem occupat, punctum exortus eius à vero ortu in Aquilonem xxi. partibus declinat: quæ quidem distantia amplitudo Aquilonaris dicitur: illa vero Australis.

X L I. De Solis loco, mensisq; die inuestigandis, ex hora 6^o verticali notis.

HAEC quidem diei cognoscendi ratio, cùm ex ijs, quæ suprà propos. IIII. annotata sunt, satis aperta & manifesta sit, explanatione ulteriore non eget. Exemplo tamen unico rem omnem hoc in loco repetemus. In diei igitur ignotiac propositi notitiam venturus, ad certam tibi eo die horam, Verticalem Solis, quocunq; modo poteris, ex superioribus cognosce. Sit hora (verbigratia) prima pomeridiana data: Sol autem ea hora Verticalem LXIX. ab occasu ad meridiem occupet, quibus cognitis filum per eam horam in limbo extende: ac vniōnem statim ad fili, & verticalis illius intersektionem applica: postea filum, manente vniōne fixo, ad Signiferum transfer, tum statim vniōne Aequinoctialia puncta, locum nempe Solis in Signifero continget, declarabitque. Quorum alterum Arietis, alterum Libra principium appellatur. In hoc, autumnale æquinoctium, in illo vernum accedit.

cudit. Hinc qui dies propositus sit, dijudicare atq; explicare non erit difficile. Sed de his supra plura.




*XLII. De horis Planetarijs ex posteriori
parte inueniendis.*

Ex hoc autem dorso Planetarum horæ expedite quoque inueniri & cognosci possunt: communi tamen seu vulgari diei hora prius cognita. Primum vno in filo ad Solis conuenientem locum, seu gradum Signiferi promoueatur: deinde filum per horam communem, prius notam, eiusque partem in limbo extendatur: tum vno in descriptis arcubus horam Planetariam commonstrabit: quæ, vt dictum est supra, geminatis numeris consignatae sunt, atque xii. in die numerantur. Quarum prima ex oriente Sole supra Finitorem incipit: duodecima eo occumbente exit: sexta verò in Meridie finitur: ibique septima initium sumit. Hinc facile matutinas seu antemeridianas à pomeridianis discernere atque separare licet.

*XLIII. De Planetarum horis in nostrates
vulgares conuertendis: et
contra.*

Si autem cognitam iam antè Planetariam horam, in vulgarē nostratē conuertere cupis: locum Solis ad diem propositum inquire: quo inuenito, vniōnem ad eundem in Signifero statue: deinde eundem immobilem transfer ad horam Planetariam: tum filum in limbo horam communem, eiusque minuta indicabit. Contrà operaberis, si horas vulgares in Planetarias commutare placeat.



*XLIII. De Judaorum horis ex dorso
cognoscendis.*

Quemadmodum Planetarum horas ex priori dorso inuestigasti: ita etiam ex hoc Iudaeorum horas venabiles: prius tamen vulgatam horam notam tibi esse necesse est: ad quam ubi filum deduxeris, vniione prius ad Solis gradum composito, vno horam Iudaicam quæsitam eiusque partes exhibebit. Ac tempus antemeridianum horas sex priores complectitur: reliquæ verò sex à meridie, hoc est, à fine sextæ horæ in occasum usque, pomeridiano tempori attribuuntur: sicuti de Planetarum etiam horis dictum est. Ut: in Bruma ad horam secundam vulgarem post meridiem inuenturus Iudaicam, vunionem ad Capricorni initium in Signifero siste: deinde filo ad secundam horam in limbo (quæ vulgares sunt) posito, vno finem horæ nonæ, & principium x. Iudaicæ ostendet.

*XLV. De horarum Iudaicarum commu-
tatione in communes seu vulgares.*

Iudaicam horam quocunque modo cognitam, in vulgarem eadem ratione, ut de Planetarijs iam dictum est, hac forma exempli conuerte. Ad xxx. diem Ianuarij inuenta sit hora iii. Iudaica: sed scire cupis, quæ ex vulgaribus eidem eo ipso momento respondeat: Vunionem itaque ad Solis locum, quem eo die perlustrat, hoc est, xx. Aquarij repone: mox filum circumuolue, donec vno in tertiam horam inæqualem, seu Iudaicam incidat: tum filum in extremo orbe horam vulgatam nonam cum xxx. ferè scrupulis patefaciet.

Sin

Sin insuper scire desideres, quæ hora Hebræa, eodem die nostrati alicui conueniat: operaberis contra, ratione & modo præcedentis propositionis.

XLVI. De hora, qua Sol oritur, & occidit, inquirenda.


Ex tribus his Dorsis ordine explicatis, vna eademque ratione tempus ortus, obitusque Solis simul depræhendes. Posito nempe vnione ad locum Solis diei propositi: eodemque ad Horizontem deducto, filum in limbo horas vulgares, tempus ortus, & obitus indicantes, declarabit. Ut: aueo scire ad diem ix. Aprilis, quo Sol primam partem Tauri ingreditur: qua hora Sol oriatur, & occidat. Vnione ritè composto, atque ad Horizontem translato, filum in limbo ostendit, Solem manè supra Finitorem exoriturum, minutis x. post v. horam vulgarem: Descensurum verò infra eundem hora v. i. scrup. l. vesperi. Inde quomodo & diei, & noctis longitudo cognoscatur, satis est dictum suprà.



K D O R-

DORSVM
HORAS AB ORTV ET

OCCASV SOLIS NUME-
RATAS DECLA-
RANS.



XLVII. De horis ab Ortu, & Occasu numeratis, ex hoc dorso inuestigandis.

DE horarum ratione, quæ ab Ortu, & Occasu Solis numerari solent, supra quoque in anterioris partis explicatione satis dictum est: nunc quomodo eadem ex dorso hoc expedite notari, depræhendique possint: paucis aperiemus. Hæ autem horæ dupliciter inter se distinguuntur: & numerorum notis, & ratione temporis, antemeridiani, pomeridianiū. Horæ enim ab Exortu Solis numeratæ omnes, his notis significantur, i. 2. 3. 4. 5. 6. &c. contrà, atque in anteriori parte est factum. Harum quidem figuræ, quæ antemeridiani sunt temporis, ad lineam meridianam annotatae sunt: quæ verò pomeridianæ, eæ supra Horizontem ijsdem figuris sunt depictæ. Horæ autem ab Obitu Solis supputatae, his notis ix. x. xi. xii. &c. consignatae sunt. Et arcus quidem ab Horizonte in tropicum Cancri & Meridianum descendentes, horas antemeridianas: reliqui verò transuersi à Cancri Tropico in meridianam lineam deduci, pomeridianas denotant: vt hoc ipsum etiam in dorso annotatum est. Sed iam horam alterutram ab ortu, obituū, vel vtramque exploraturus, vniōnem ad Solis locum in Signifero promouet: deinde, eo sic manente, filum ad horam vulgarem antè notam in limbo applicato: tum vnio horas ab ortu, & occasu Solis elapsas simul monstrabit. Vt: cupias scire, quot horæ effluxerint in die æquinoctiali ab ortu, vel occasu Solis numeratae, instante iam hora x. vulgari. Posito itaque vniōne ad Arietis, & Libræ principium in Zodiaco, & filo postea per horam x. in limbo extēso, vnio in arcubus illis horas 4. ab ortu, & xvi. ab occasu Solis prēteriisse declarat. Hoc modo etiam, vt in ceteris dorsis factitatum est, horas

vulgares in alias, ab ortu, obituū numeratas, & contra: vel
has ipsas inter se commutare atque conuertere licet: quod
monuisse sufficiat. Diligenter autem cauendum, ne horæ
matutini temporis cum pomeridianis confundantur.

*XLVIII. De Ortū Solis in horis ab Occa-
ſu numeratis: item de diei, ac noctis lon-
gitudine, cognoscendis.*

Q Vando, & quot horis post obitum Solis, is ipse denuò
sit exoriturus: hoc est, quanta futura sit nox, & mora
Solis sub Horizonte, hoc modo inuenies. Ad locum Solis
in Signifero vniōnem compone: deinde eundem ad Hori-
zontis arcum transfer, vt planè eundem contingat: tum
vnio diei & noctis longitudinem, hoc est, moram Solis sub
Finitore patefaciet. Sic ad xxx. Ianuarij diem addiscere cu-
pio, qua hora, à noctis initio numerata, Sol iterum exoritū-
rus, hoc est, quot interim effluxuræ sint horæ, quæ noctis
longitudinem indicent. Quare vniōnem ad xx. Aquarij
gradum colloco: ac eundem in Finitoris ambitum consti-
tuo: is statim arcum eum cōtingit, qui numeros **io.** & **xiiii.**
adiectos habet. Numerus quidem (**io**) supra Finitorem diei
longitudinem decem horarum esse ostendit: alter verò
(**xiiii.**) imæ eius parti appositus, quatuordecim horas noctis
quantitatē aperit: post quas elapsas Sol denuò in parte
Orientis sit emersurus. Sic de cæteris iudicabis.

*XLIX. De horis ad Occasum Solis reliquis,
quouis diei tempore inueniendis.*

AD quoduis diei momentum, quotnám horæ ad Solis
occasum adhuc restent, hoc modo inuenies. Primū
vnio,

vnio, vt antè, ad Solis in Signifero locum deducendus est: deinde filum, vnione firmo manente, vel ad aliquam horam communem & notam in limbo collocandum: vel ipse vnio ad horam ab ortu, aut occasu numeratam, sistendus est: tum idem vnio optatum monstrabit. Sed hoc in loco considerandum est: num Sol Meridianum sit prætergressus, necnē: id est, num obseruationis tempus sit antemeridianum, an verò pomeridianum. Tempore enim antemeridiano horæ ab ortu post meridiem dictæ, consulendæ erunt, vt tempus diei residuum depræhendatur: pomeridiano verò tempore, contrà, horæ ab ortu ante meridiem idipsum tempus declarabunt. Verbi gratia, Sole quintum gradum Tauri perlustrante, circiter horam nonam vulgarem ante meridiem cognoscere desidero, quot horis Sol supra Horizontem adhuc eo die commoratus sit: ad quintum igitur Tauri gradum vnio in Signifero applicetur: filum verò horæ nonæ in limbo matutinæ imponatur: tunc vnio in duorum arcuum decussationem incidens, non solum, vt supra dictum, horas ab ortu, & occasu Solis elapsas, sed etiam ad eiusdem obitum reliquas ostendet. Alter enim arcus 4. horas ab ortu: alter xiiii. ab occasu præteriisse declarat. Iam verò reliquum tempus ad Occasum vt cognoscas, progredere in eodem arcu sursum ad Horizontem usque, ubi 10. horæ ab ortu post meridiem offeruntur, quæ ostendunt 10. horas restare ad Solis obitum: quas si cum quatuor prioribus coniunxeris, dici quantitatem xiiii. horarum produces. Sin verò hora tertia pomeridiana idem scire cupias: consules horas ab ortu ante meridiem: & inuenies 4. horas tantum ad noctem
superesse.

*L. De horarum ab Ortu, & Occasu, ac
vulgarium inter se commu-
tatione.*

Quemuis hæc ipsa ratio ex antedictis obscura esse non possit: vñico tamen exemplo rem omnem illustrabo. Quacunque ratione hora aliqua, siue ea ab Ortu, siue ab Occasu numerata sit, cognita fuerit: ad eam vñionem, prius ad Solis locum compositum, adiunge: tum idem vñio etiam alterum horarum genus, filum verò vulgarem horam à meridie computatam in limbo indicabit, & contrà. Vt: Sole xx. Aquarij gradum occupante, si manè ad arcum secundæ horæ ab ortu vñionem deduxeris, intelliges xvi. horas ab Occasu præcedentis diei interim effluxisse: & filum simul in limbo nonam horam matutinam monstrare. Similiter, si nota prius sit xvi. ab Occasu: & ad eam vñionem statueris: idem vñio 2. ab ortu, filum verò 9. vulgarem exhibebit. Contra verò per vulgares horas, alias ab Ortu, & Occasu numeratas depræ hendere licebit.

ATque hæc quidem hactenus, Candide Lector, de Trientis nostri vtilitate annotasse, sufficiat. Admonendus autem mihi videris, de modo, & ratione Trientes typis expressos, asserculis agglutinandi: quò veram suam magnitudinem à typis acceptam, recipiant ac conseruent. Eos igitur spongia, aqua vel simplici, vel aluminosa imbuta, leuiter humectabis: & per horam vnam atque alteram ita relinques, dum iustam & omnibus suis partibus æquabilem humiditatem acquirant. Tum eos asserculis probe & exactè dedolatis affiges: ac omne id, quod extra Trientis ambitum, eiusque limites extabit auferes.

Deta-

De tabellis autem seu pinnulis Meridianæ lineæ adiungendis, item de filo seu perpendiculo tum Trientis, tum Rotulæ centro innectendo &c. supra in partium explicatio-ne satis dictum arbitror. Ex quatuor porrò Trientibus, ad quatuor diuersas Regionum latitudines descriptis, eum solum eliges, & ad propositum tuum præparabis, qui loci tui exaltationem polarem continet. Huic inde Trienti Dor-sum cum rotula in parte opposita applicabis. Ad reliquas verò Tridentum partes anteriores, aliud atque aliud, dorsum, pro arbitratu tuo, adiungere poteris.

F I N I S.



Tubingæ, M. D. LXXXVI.

T R A N S


D^e letet illi summi genitumque M^{er}itum sive dñe
S^{an}c^tus iⁿnot^e n^{on} s^{er}vo^r s^{er}uo^r b^{ea}te^r p^{re}ce^r tu^m T^{ri}um^ois^r, m^ult^o
R^{ot}ul^os^{er} c^{on}su^mto iⁿ n^{on} g^ood^o g^od^o. t^ubi^r iⁿ p^{ro}ut^o m^ult^o e^xp^licatioⁿ
oⁿ m^ult^o q^uis^om^ult^o t^ubi^r. T^u d^uo^r p^ort^o t^ubi^r, e^um^u
h^a d^uo^r m^ult^o d^uo^r t^ubi^r. R^{ot}ul^os^{er} t^ubi^r q^uis^o q^uis^o h^a d^uo^r, d^uo^r t^ubi^r,
l^ol^o m^ult^o q^uis^o, & q^uis^o p^{ro}posit^o m^ult^o p^{ro}posit^o. H^uic^o u^mo^r t^ubi^r,
m^ult^o c^{al}cul^o n^{on} oⁿ p^olo^r m^ult^o c^{on}tra^r e^um^u
t^ubi^r c^{on}tra^r oⁿ iⁿ d^uo^r oⁿ p^olo^r t^ubi^r. A^ug^ust^o 17⁰9.
L^og^o T^ubi^r M^{er}itum p^{re}ce^r se^cu^lo^r s^{er}uo^r t^ubi^r.


g^otu^r p^ort^o t^ubi^r iⁿ d^uo^r s^{er}uo^r t^ubi^r

L I N E



T^{ri}um^ois^r M^{er}itum D^oct^or. L^{XXX}





ERNST BRAUN
Buchbinderei
ZÜRICH

